C.R. BIBLIOTHECA UNIVER. IAGELL. CRACOVIENSIS
B C
5131
I | Mag. St. Dr. | P
Nat. komp.

5131

Enthronismus.

AVSPICATISSIMVS

Ill.^mi ac R.^mi in CHRISTO Patris, ac Domini,

0163 1/2

D. EVSTACHII WOLOWICZ,

D. G.

EPISCOPI VILNENSIS,

PRÆSVLARIS

ENTHRONISMVS,

A

PRÆNOBILI IVVENTVTE Academica Vilnensi, Societatis IESV,

summo gratulandi studio,

ΑΜΕΤΡΩΣ ΚΑΙ ΕΜΜΕΤΡΩΣ

adornatus.

A. D.

Intrat VoCatVs à Deo tanqVaM Aaron. *Hebr. 5.*

VILNÆ

In Typographeo Academiæ S. I.

(1616)



Trunca nitent, campo, duo tela, obversa, rubenti.
Digma VOLOVICIDls Mars id Honosq; dedit.
PRÆSVLIS, EVSTACHII Mitra plus decoraminis addit.
Scite ut hic ima regat, rite sub astra volat,
Candidus & rubicundus hic, ô Ecclesia, Sponsus.
Mens nitet huic, truncat probra, DEOq; flagrat.
Tela Pharetrati subduc, Academia, Phœbi:
Teliger EVSTACHIVS plus tibi spondet opis.

STANIS. SERAPHINVS IAGODINSKY.

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS.
5131 I

Gratulatio nomine Academiæ habita á Petro Voyna.

FElici tuo & auſpicato ad hoc Pontificiæ dignitatis culmen aſcenſui, Antiſtes Illvstrissime, fauor ciuium, ſtudiū nobilium, complexus Magnatū, omnium deniq; ordinum, ætatum, ſexus, feſtiuæ aggratulationes rhedæ inſtar affuerunt. Complexa eſt ciuitas tutelarem, Ordo Nobilium Parentē, ordo Procerum Senatorem, omnis ætas Præſulem ac Paſtorē. Vidit hoc Academia Præſul ampliſsime, vidit & inuidit, non tabido liuore tantis plauſib9 indignata, ſed ardenti æmulatione, ad applauſ9 ſociales facis more vſtulata: vt, quæ ſuæ tenuitatis officia, tuo Nomini multis nominibus obligata, Progeumatis loco, ſorte ita ordinante, non dicauit, ſaltem in Apophoreti vicem, Humãitate tua acceptante, exhiberet. Quid? putas eius gloriæ ſplendor, qui lippiētes etiã oculos luce ſua perſtringit, noſtræ lyncis Academiæ aciem fugiat? celſitudo infra cōſpectū ſita videatur? voluptatis quæ ab incolis, ad accolas vſq; dimanauit, exors ſit illa, quæ iure quodã præcipuo, totos lætitiæ latices, ad ſe, vt ad fontē, deriuat? Sobolē Honoribus augeri gaudet mater: ouat cliēs ſuū aſſurgere Mecœnatē: iucundatur vniuerſitas Gubernatorē è mediis animi ſui votis, uelut ſolem è nubibus, emicare. Si veritati affine eſt quod Diuiniſsimus iuxta ac Scientiſsim9

Plato

Plato prodidit; Vniuersitas vnaquæque Numen Patronũ habet: recolit prænobilis istà parens academia, quomodo te altero longè feliciori materno partu in lucem Doctrina edidit, eruditio amplexu obstetricio excepit, Pietas affectu nutricio pauit, scientia cunabulis fouit, Sapiẽtia rerũ humanarũ & Diuinarũ cognitione nõ inaurauit, sed inaurauit: recolit & mirabili iam quadam uicissitudine, sed lõgè mirabiliori Cælitũ prouidentiâ, te suæ parẽtis parentem, suæ nutriciæ nutriciũ, suæ altricis altorẽ, suæ gubernatricis gubernatorẽ inauguratum hilarescit: quando in hunc cœlo proximũ in terris locũ sublatus es, in quo tibi quasi hæreditario iure Patrocinium literarum obuenisse intuetur. Quid enim tibi opus est memoriã reuocare priorum Vrbis nostræ Antistitũ, qui cum Ptolomæo, optimũ sibi augurium artes tutari autumabãt? VALERIANI vigilantissimi solertia exules literas, in hæc mœnia introduxit, munificentia domiciliis muniuit, opum præsidiis locupletauit. GEORGII RADIVILI purpurati Cardinalis beneficẽtia adauxit. BENEDICTI VOYNAE Patrui mei æterna memoria dignissimi, authoritas, sartas tectas MVSARVM facultates conseruauit. Omnes isti ac singuli viritim, Mineruæ castris, castra suæ beneficentiæ æmulâ contentione opponebãt, vel dicam lenius, fœdere sociali componebãt. Mœrebat academia illorum obitum fateor; orbitatis est: preces precibus, vota votis pro eorũ salute aggeminabat; debuit, officii est: memoriam illorũ per scriptorum monumẽta ad serã posteritatẽ transmisit; teneba-

tur, gratitudinis est. Iam verò illis ad sempiterna cœli domicilia dilapsis, quem te meliorē speraret vel optaret, in quo vno omnia efflorescunt, quæ in singulis vita comite floruerunt, morte præcoce aruerunt. Quæ, obsecro, ruina Macedonibus pertimescenda est, post Philippum Alexandro egni falces assumēte? aut quid detrimenti literisr irrepsit, Attalo, Democrito Pompeio, Scipione Affricano è vitæ statione decedētibus, quando Augusti, Pomponii, Caroli, Gratiani pares literaturæ propugnatores succedebant. Eam nobis de tua celsitudine opinionem Stemmaticæ tuæ Sagittæ auitū NObilitatis VOLOVICIAE simulacrū, ingenerarunt, Antistes Illustrissime, vt existimemus, & ampla quadā spe præcipiamus, omnes te gubernationis rectæ numeros absoluturum, remq; literariā nō pristinis ornamentis modò/ verùm cumulatioribus dotaturum. Respublica nostra literaria admirabiliter duas illas res Sapientiam, & Pietatē fœdere sororio copulauit; rata Sapientiæ sementem in amœniores vberioresue culmos assurrecturā, si pietatis liquoribus irroretur. quippe pietas sine scientia ardet, cum Sapientia lucet: Sapiētia sine pietate nitescit, cū pietate efferuescit. à scientia Pietatē qui auellit, ille nauigio cōtempto, fretū tranat: clypeo abiecto, aduersus densatas ferro acies dimicat ac decertat. Atqui utriusq; eius rei nobis pernecessariæ symbolum in tuo Archetypo Stemmatico elucescit, Præsul Amplissime, Phæbus, quem literaturæ Deum gentilitia superstitio

com-

cõmenta est, Sagitta scientiæ te instruxit: Amor diuin9, altera pietatis sagitta cõmuniuit. Phœbus tibi Sapiẽtiæ gubernaculum detulit, amor pietatis præsidiũ delegauit: vt nõ immeritò alterũ spiculũ cœlos, alterũ terras cuspide tueatur. Sagitta pietatis flammis succẽsa, nulla nõ virtutũ spacia permeauit. Sagitta Sapientiæ ad Gymnasiorũm cotem exacuta complures orbis Academias peruasit. Illa gliscens sanctimonia, cœlos usq; penetrabat: ista sciendi cupiditate impulsa omnes difficultatum obices impetu perrumpebat: utraq; celsitudinem tuam ad celsissimorum quorumq; eminentiam subuehebat: vtraq; animos Superûm, Inferûm vehementius sauciabat. Intuere enim & cõtemplare, Præsul Ampl: te tãta Authoritate ordinis Senat: tãto cõsensu S. R. M. tanto studio bonorum omnium, agente Virtute, exsposcẽte fortuna, animi ornamentis suffragãtib9, Deo deniq; immortali cõprobãte, in vtraq;, tam Ecclesiastica, quã Politica Hierarchia magnispassib9 itasse, vel satius geminæ huius Sagittæ pennis volitasse. Qua enim tu auctrice in Grammatei Curialis honorẽ cõscendisti? auctrice Sapientia. Qua opitulatrice in Referendarii sella consedisti? opitulatrice Sapiẽtia. Qua gubernatrice dignissimum Procancellarii gradum occupasti? gubernatrice Sapientia. Iam verò, in Repub. Romanæ obseruãtiæ qua promotrice in alma Vilnensi Hexedra Custodis dignitatem adeptus es? pietate promotrice. Qua ductrice ad Trocensẽ Præpositurã laudabiliter ineundã, laudabilissime

ſime ſuſtinendã penetraſti? ductrice pi etate. Qua ma‐
giſtra Lubinenſium Aſcetarum adminiſtrationem geſsi-
ſti? magiſtra pietate. Hoc ne ſatis? altior eſt pietas, fecit
etiã altius tuum decus prominere. Quò? à magnis ad
maxima, à celſis ad celſiſſima. Sedem Pontificiã in am-
pliſsima Lituaniæ ditione tuæ amplitudini reſerauit.
O Sagittæ plus quã Phœbææ, ſpicula plus quám Her‐
culea, quæ ad tam ſublimem ſcopum collimaſtis, nec ſi-
niſtro Hercule appetîſtis. Itaq; ſub tuæ pharetræ tutelã
die hodierna ſe Academia deuouet, Antiſtes vigilantiſ-
ſime, pietate iuxta ac Sapientia cuſtos pietatis ac Sa-
pientiæ poſtulat gubernari. Hunc tu ſagittarum faſcicu-
lum, Sciluri more, Academiæ imperti: nõ verebitur ne
error exturbet Sapientiã, impietas populetur pietatem.
Armauit ſe Lutherana perfidia, denſantur Caluiniſta‐
rum acies, venenum contra orthodoxã Sapientiam de‐
ſtillantes, quis furorem reprimet? reprimeṅt hæ Sa‐
gittæ. literarum obtrectatores, Ariſtarchorũ feces, Ar-
chilochorũ turmæ in ædiculã Mineruæ, cõuitioſorum
cogunt Phalanges, quis diſsipabit? diſsipabunt hæ Sa-
gittæ. Tuis tuis iaculis adverſarias Momorũ cohor-
tes peſsundãdi temp9 aſpirauit: ſi olim buccinæ Voy-
niacæ claſsicũ cecinerunt, ponet gladium Pallas, ſcu-
tum quieti mandabit, ſagum abiiciet, togam induet, vir-
gã oliuæ manib9 apprehẽdet, quãdo tuas ſupra ſe ex-
cubare ſagittas perſẽtiſcet, vt ita pacis ipſa ſtudioſa nõ
pro ſe amplig9 decertet Sagittarum Tuarum in cauſa ſua

dimi‐

dimicantium robore glorietur, & tandẽ literæ experientur veritatem illius Tulliani; Artes in pace natæ sunt, in pace adoleuerunt, in pace etiã maturescunt. Viue igitur, Præsul Ampl. bonorum tuorum Myrmecia, ornamẽtorum supellectile fruere, & augére: viue tibi, viue tuis, cœlo auspice, terra fautrice. nouerit te Ecclesia propugnatorẽ fortissimũ, nouerit Patria Mecœnatem amplissimum, nouerit Magistratus senatorem grauissimũ, nouerit Ciuitas tutelarem, nouerit Academia gubernatorem & Patronum. spectet in te Ecclesia vigilãtiam, Patria charitatem, Senatus authoritatem, Vrbs amorem, Illustris Academia (quæ Præsularem tuum, toto hoc libello, adornare conatur Enthronismum) prouidentiam contempletur, deprædicet, admiretur. Dixi.

EVSTACHIVS VOLLOVICZ:

Διπλαναγραμματισμός,

CATHOLICVS ZELVS VIVO,

&

CATHOLICVS ZELO VIVVS.

Catholicæ fidei, diuini & zelus honoris,
Cum VOXNA, visus sum, moriente mori.
CATHOLICVS VIVO, EVSTACHIO te Præsule, ZELVS,
CATHOLICVS ZELO VIVVS es EVSTACHIVS.

ΕΠΟΝΩΜΙΚΟΝ.

ΕΥΣΤΑΧΙΣ Ἀρχιερεύς βοεπώμενος εὔσταχυ πᾶν δ' ἔσσ,
Ιουζίβωκοι σαχάνιο ΦΩΣ ὁ διδότερος.

STANIS. SERAPHINVS IAGODINSKY.

NOBILITATEM
PARENTEM
ILLVSTRISSIMI
AC REVERENDISSIMI D. D
EVSTACHII
WOLOWICZ
D. G.
EPISCOPI VILNENSIS
INTRODVCIT
IN SVAM SEDEM

LADISLAVS VVOYNA



Quæ Cœlum terramq́ pio terrore gubernat,
Præsulis insignit, bina Sagitta, genus.
Robur fracta refert, Animum vigil Ictus. Vtriq́
Orbis hic angustus, maior & orbe Polus,

INter tot, ac tam augustas Patriæ, Lituaniæq; Gratulationes, nostra etiam occurrit tibi Tenuitas, ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME DOMINE, Si morã obiicis, pudorem opponit; si hunc arguis, argue gloriam, argue Dignitatem tuam. Quid enim illa illustrius? perculisti oculos omnium, vt resplenduisti, & auitæ & additæ gloriæ accessione. Circumsistunt te, quasi Soles, Honores tui, veneratione duntaxat adeundi. Quid hîc Industria nostra? pergeret an retrocederet? hoc turpitudinis, illud furoris fuit. hæsissemus hic, nisi NOBILITAS tua liberalem dexteram porrexisset, expeditioremq; viam ad reliqua promisisset. Quid iam agis GRATITVDO? felicem te, beatissimam vniuersam Lituaniam prædicas, illustrem factam, illustri sanguine, augusto regimine PASTORIS ac PARENTIS sui? Produc veneranda canicie amabilem ANTIQVITATEM, ne & ipsa tanti Triumphi sit expers: explicet, exornet Clarissimæ WOLOVICIÆ Gentis auita Decora. Sed relinque. patent iam. DVX enim & IMPERATOR vitæ Mortalium Animus, ipse se prodit, Antiquitate ipsa venerabilior amabiliorq;. Quid enim PRÆSVL AMPLISSIME, vultus tuus, quid Digma tuum Gentilitium loquitur aliud? SAGITTÆ Martis insignia FORTITVDINEM Maiorum tuorum, MAGNANIMITATEM, PIETATEM, in Patriam, in Reges, in posteros loquuntur. Incredibile memoratu est, quam insignis Ille VIR GEORGIVS, ex Maioribus tuis PRÆSVL ILLVSTRISSIME, cui etsi commune vitæ curriculum Natura circumscripserat, immensum tamen, & sempiternum Annus supra Millesimum 454tus esse voluit. Cum enim CASIMIRVS eo nomine Tertius, REX Poloniæ, prælio cum Crucigerorum exercitu, in campo CHOYNIEC commisso a suis in fuga aberrasset copiis; iam iamq; hostilis Equitatus, sanguinis auidus, Regiis ceruicibus immineret: incidit singulari Dei prouidentia in Regiam Fortunam GEORGIVS. Constitit rem aggreditur, plus famæ apud posteros, quam fidei habituram: fidelitatis, non vitæ: gloriæ, non sanguinis memor, Vniuersam hostilẽ turmam suo pectore excipit, SAGITTAS expedit, Arcum adducit

fœcundam

fœcundam sagittarum procellam, iterum atq; iterum in obuios effundit. nec frustra fluere alii ex equis, alii sanguine fœdari suo, alii rei nouitate rigescere, præsentiam alii viri non ferre, terga vertere sic & generoso Animo campus gloriæ, & REGI vitam persequenti, ingressus ad vitam patuit Id munimentum illo die Fortuna Regis habuit. quid hîc dicam? in vnius hominis CAPITE, vniuersam REIPVBLICÆ Salutem Casus appenderat. Sed inuenit Humeros, inuenit Animum Humeris parem. suscepit, sustinuit vitamq; REGI, sine suæ iactura & REMPVBLICAM incolumem restituit. Recole, Venerare PATRIA, ET EX VNO PECTORE DISCE OMNES. HÆC prima GLORIA, PRÆSVL AMPLISSIME CVRRVM tuum circumstat: hæc te gratum PATRIÆ, carum tuis, Admirabilem orbi efficit; hæc nobis annuit, vt in liberali tua dextera, animos, ac vitas collocemus, quibus vniuersi Regni Salus aliquando concredita, cum fœnore seipsam recepit RETVLIT COCLITI GRATIAM ROMA, cum illi statuam in Comitio collocat Refert & tibi PATRIA Nostra, & vniuersæ Familiæ WOLOVICIÆ, non statuam aliquam, aut mutæ gloriæ simulacrum, sed te ipsum, in solio, digno te, digno tuis Maioribus collocans: vt sis SOL animis Nostris; Scopus conatibus: Sal, operibus; Murus periculis: Illicium, laboribus: Exemplar, virtutibus INGREDERE IGITVR OMNIVM AMORVM, FAVORVM, HONORVM, GRATIARVMQVE, COMITATV ILLVSTRIS. & nostro huic Tumultuario sermoni, quem Fors & Casus properantibus obtulit, inter vniuersæ Patriæ gratulationes, locum aliquem concede: sequatur Currum tuum, loquatur Gloriam tuam. tuo, non suo sublimis munere. Speramus enim si salutaris tuæ Dexteræ benedictione perfruetur: linguæ hoc illi instar immortalis futurum.

LADISLAVS WOYNA

Fama, lituum vna, stemma, altera manu gestans, in circulo, sagittas eiaculante, volitat.

SED FAMAM EXTENDERE FACTIS.

Fama, sagittifero, circumdata fertur in orbe,
Præsuleum extollens, inclyta fama, decus.
Quid metuis? quæ bella trahis? fugat illa Timores;
Nec pauet ulla, necis, tela; vel inuidiæ.
Sed volat, ut volitet, totiq; id, prælegat, orbi,
INVIA VIRTVTI NVLLA REPERTA VIA.
Victuram gentem, victuraq; stemmata, canto:
Quæ verus, Patriæ, nobilitauit Amor.

Ex inferiore Sagitta lilia pullulant: superiorem; loco calami, stella, illustrat.

ET LVCET ET FLORET.

Quàm bene, Præsuleas, comunt, decorantq; Sagittas,
Lilia, flore suo; stella, nitore suo.
Quid causæ? illustris, patriâ virtute, Volovicz,
Transit, ad illustres Relligionis opes.
Lilia, Virginitas; Pietas illi astra, ministrat.
Vt casta, in casto, floreat arbor agro.
Floreat, & celsum, ramis, fæcundet Olympum,
Fructu, grata solo; grata & odore, Polo.

Crux, cum insignibus Passionis conjungens utramque Sagittam: è cuius brachiis dependent Vetus, & Nouum Testamentum: in medio Crucis, nomen IESVS, in eius medio, Calix emittens botros, & aristas.

VAS erit mihi ISTE ut portet NOMEN MEVM.

Nobilibus mediam, Crux se inserit, alma, sagittis;
Magnum in se nomen, grandia sensa gerens.
Vis illata tibi est, generosi STEMMA Volovicz,
Sed vis ista, pia est; Sanctus, & iste, furor.
Vim Deus hanc infert, dum te, sibi deligit unum,
Nomen, ut illius Nominis, amplifices.
Ergo age Vas sanctum, vas Nobile, nobile porta
Nomen: cum Cælis par tibi surgit honor.

Stemma Reverendissimi in throno coronatum excubat: cui Mars cum Bellis & Armis omnibus se subiicit.

ET REGNABIT IN ÆTERNVM.

Postquam præsuleos, Virtus vulgauit honores:
Regalem insedit, festa sagitta, thronum.
Reginam Mavors, Reginam Bella salutant;
Armaq; supplicibus, concrepuêre, sonis.
Optima magnanimis, facta est electio, votis:
Iam Mavors, sanctâ sub Duce, sanctus erit.
Iam nullos, timeat Lithuania nobilis, hostes;
Victa est Mors; victus, si pietate, Deus.

Illus

Illustrißimi Sagittas, Honor, Famæ tradit, immortalitati consecrandas. suscipit illa, & cælis infert: inq; Sagittarii loco, primò repugnantis, dein libenter cedentis, collocat. exultante, belli duce Marte

SEMPER HONOS, NOMENQVE TVVM, LAVDESQVE MANEBVNT.

Vnde fero, Litaui, sonuerunt murmure, montes?
Cui, Præsul, nova bella parat? leuibusnę sagittis,
Florentes terras, florentia diripit astra?
Vna altum meditatur iter, terram altera terret:
Vtraque par animis, par acris acumine, ferri.
Quid mihi Pierius calor ingerit? aurea pacis
Tempora? fors fallor? sonat hoc Deus, hoc sonat ipse
Veridicis Helicon vndis. Num credere fas est
Arma feræ damnata neci, damnata furori,
Aurea laurigeræ promittere tempora Pacis?
Hæcne iubes memori miracula credere metro
Phœbe? an Præsuleum Vilnam deducere Honorem?
An cœlo mandare genus? magna omnia, magna:
Herculeis opus hîc humeris. quare agmina Fontis
Huc age Castalij, properet cum carmine Pœan,
Cum choreis Orpheus, cum floribus ipse Cytherō,
Præsuleos cuncti celebrent vno ore Penates.
Errabat Litauum, Dea velox Fama per orbem
Millenis instructa tubis, millenaq; gestans
Augusto, decora, in gremio, quam plurima circū
Numina, Res gestæ, Victoriæ, & inclyta bello
Funera, formosis, agitabant æthera, pennis.
Illa autem medium volitans Regina per Agmen

Æternos rebus vultus, æternaꝗ donat
Tempora; ſidereum fundens per membra, decorem,
Ambroſiamꝗ comã; & nunc hos, nunc inſpicit illos;
Hos mulcens, his ſerta aptans, his gloriam adaugens,
Vt claros rutilis, Æqui memor, inſerat aſtris.
Interea, Lomzenſe ſolum, Grodnenſiaꝗ arva,
Sublimis calcabat Honor; niveiꝗ iugales
Hinnitu afflabant Lucem, cœlumꝗ ſereno,
Proſcriptis nebulis, Aer pingebat amictu.
Et procul, ut Famam Vilnenſi aſpexit in arce,
Serta para, dimitte tubas, læta occine, læta
Pange ſoror, millena crepent Taratantara, lætus
Clangor eat cœlo; ſaltent, citharæꝗ lyræꝗ:
Præſul iô, Vilnenſis iô, venit, omine Vilnam
Fauſtus iô fauſto. rem percipis, eiice pennas,
I, terras velox cælumꝗ accinge Fauori,
Tranſi Alpes, Indosꝗ feri, nec inhoſpitus iſtas
Caucaſus ignoret Luces; En bina ſagitta
Præſulis, En animi Virtus, en digma paterni
Sanguinis, excelſis utramꝗ interſere ſtellis
Si qua Sagittipotens, moturus prælia, Chiron,
Noſtraꝗ ſpreturus mandata videbitur: altis
Deiice pugnantem domibus, Barathroꝗ reconde.
Dixit, & aligeras Vilnam dimiſit habenas
Fama, genus velox, vix dicta receperat auris,
Iam docet Auroram, iam laudibus implet & Arcton;
Iam Zephyros Auſtrumꝗ monet, cælosꝗ ferenti
Expli-

Explicat Atlanti; nunc his, modò narrat Eois,
Neptuniq; domum post se, Steropemq; relinquit,
Mirantesq; Getas: cœlumq; canora subintrat.
Non aliter, quam quando Iovis, furor igneus astra}
Frangit, & horrendo excursu Stygem, & arva supinat.
Sic illa, & terras, & laude, impleuit Olympum;
Præcipuè, binas, generosâ è stirpe, Sagittas
Ostentat, repetitq; locum, Chironaq; tristem
Cedere sede iubet, Scythicumq; capessere tectum.
Hic est, Hic, inquit, te dignior, hinc procul istam
Eiice rugosam pharetram, effætasq; sagittas,
Teq; ipsum: Maior tantos capit Hospes honores.
Expauit Chiron, varioq;, in corde, tumultu
Nunc has prætendit causas, nunc obiicit illas.
Ast ubi vipereus rapuit corda ignea Rancor,
Et verbis miscere minas, & prælia cœpit:
Mene meis, inquit, detrudere sedibus audes
Quem cælo donauit Honor, virtusq; decora
Diis genitum carumq; Diis? per Tartara iuro
Per sacros Tripodas / perq; huius Numina sedis /
Has nunquam referes sedes. Nec plura moratus/
Arma manu / pharetramq; rapit / totamq; Tonantis
Vrget ad arma manum / dux facti / & signifer ipse:
Ira / Furorq; animos addunt: manus omnis in armis
Omnis & in capulo / prohibentq; obstantq; ruuntq;
Agmine multiplici. Mars forte & Apollo propinquas
Dum cœli peragrant partes / crescente tumultu
Exci.

Exciti: quis clamor ait / quæ prælia? Phœbus:
Prosiliunt / vbi cuncta vident plena esse furoris /
Mars animis atq; ore potens. Quò stulta libido
Vos agit ô ciues / quò bella educitis / inquit?
Quo duce? quæ causa est? quis ꝓditor? aut vbi crimen?
En ego Bellipotens. quæ tanta audacia / bellum
Me sine miscere / & sedes turbare Tonantis?
Quis resides animos / sopitaq; classica mouit?
Quis novus hic inquam Mavors? vbi castra ducesq;?
Miles vbi? num sede Iovem / num cœlica cœlo
Numina deturbat? prodi / fera bellua / prodi
Hic te Hic exspectat / quem debes frangere primum
Si frænare polos ambis / si quæris honores.
Dixit / & intentum sese deducit in ensem.
Consternati omnes / gelidus stupor occupat ora /
Membra rigor / languor dextras præcordia terror,
Solius alternos vultus / pallorq; ruborq;
Chironis versat / solum coquit anxius error /
Ventosumq; decus violatæq; ocia Pacis:
Iam mallet cessisse iræ / Garamantas & ipsos
Posthabito petiisse polo: sed serò modestum
Non serus dolor insequitur. iam iamq; petebat
Authorem Mauors: sed Fama / ut falleret ictum /
Chironemq; graui / tegeret mucronis ab irâ,
Concutit alatam Sobolem / centumq; resoluit
Clasſica; centum addit modulos Polyhymnia, totus
Vertitur in choreas æther; Via lactea / sese
Pandit

Pandit; iô Taurus, gèminant iô Virgo Ariesq;
Effundunt sese superi cœlumq; coronant
Obliti bèlli. rutilas Pax læta per arces
Fertur, amica monens, aboletq; ferocia corda,
Mucrones, hastas, galeas, insanaq; scuta:
Pellitur & sæuus qui mente nouissimus exit
Vindictæ liuentis Amor; iam consona sese
Pectora, iam mites animi capiuntq; coluntq;
Spectantes pariter, pariter noua læta tuentes.
Vrget Fama tubas, felix hilarescit Olympus,
Diffluit insolitâ captus dulcedine Mauors,
Sed causam miratur adhuc, Polyhymnia donec
Bellica Præsuleæ recolens præconia gentis,
Illustre, augustum, venerabile Digma, SAGITTAS
Extulit, (intremuit motis cum sedibus Atlas)
Æternamq; legens sedem soliumq; perenne
Æternùm mansura locat decora ardua; festas
Agglomerans Stellas immortalesq; pyropos.
Tunc versa ad superos læto ore & pectore læto,
Hoc, inquit, decus est; hoc, inquit, Digma superbas
Sideris exornet sedes, date thurea dona
Cœlicolæ, geminate melos, sonet axis vterq;
Præsulis æternam æterno cum digmate laudem.
Mars vbi Præsuleos arcus, geminasq; SAGITTAS
Conspexit; saliêre manus pectusq; stupenti.
Nec semel est stupuisse satis, iuuat vsq; stupere

Nobilis ingenium generoſaꝙ Symbola dextræ;
Accedit propius, faciliꝙ modeſta SAGITTÆ
pectora coniungens, reuerendaꝙ brachia, fatur.
Salue Magnorum decus immortale virorum.
Salue grande iubar grandi de gente. beatum
Me nunc ſecla ferent, cum te prope noſſe, tuâꝙ
Conceſſum virtute frui: tu Pacis Oliua
Tu Regis regniꝙ ſalus, tu gloria CHOYNIEC,
Tu Terror belli, tu pœna ruinaꝙ ſtrati
Perniciesꝙ hoſtis. quam fortis, quam inclyta, narret
Qui ictum ſuſtinuit, qui nobile ſenſit acumen
Iratamꝙ in corde necem, fuditꝙ querelas
Vltima cum victo protrudens ſanguine verba.
Sed iam Præſuleâ iam ſancta SAGITTA tiarâ
Non mea iam, iam viue tibi Patriæꝙ Parenti.
O quantos Vilnæ promittis Pacis aceruos,
O quantos gauiſa parat tibi Vilna triumphos.
Non ſic feſſa ſuum gelidi poſt Vincla tyranni
Excipit Æthonem tellus, temone coruſcum,
Frangentem glaciem, BoreamꝙHyememꝙ fugantē;
Cum ſolo recreat viſu, cum ſordidam anhelo
Caniciem pellit flatu, reparatꝙ iuuentam.
Scande, fruâre polo nobiſꝙ tuiſꝙ benigna.
Sic Mauors cecinit, perrexit Fama, ſecutæ
Muſæ, exceperunt Superi, finemꝙ daturi.

LADISLAVS WOYNA.

SAPIENTIAM
DVCEM
ILLVSTRISSIMI
AC REVERENDISSIMI DD.
EVSTACHII
WOLOWICZ
D. G.
EPISCOPI VILNENSIS
HOC LEMMATE
SALVTAT

NICOLAVS ZAVVISZA



Præſulis ingenium ſapientis, vt omnia vincit;
Sic ſerit oppoſitos bina Sagitta polos.
I Felix Terram ſupera, Cœlumq; capeſſe:
Patrem Academia te prædicat eſſe ſuum.

HActenus Sanguini prælusimus tuo, Pater Religioſiſſime: ignoſces, ſi obſcuritas noſtra ſplendorē Generis tui ferre non potuit; ſed & ignoſces, ſi Solem orbis ferre non poterit. Sapientia enim ſcientia ſempiternorum eſt, quæ tu virtute Teli tui ſubiugaſti tibi. Non vrbi iam nec Lituaniæ, ſed Orbi luces vniuerſo. Veloces pēnæ tuæ, Veloces Sagittæ, diſperſæ in Cæli terræq; receſſus, Sapientiæ tuæ Æterna vbiq; reliquērunt veſtigia. Quid te latet in cœlo? quid extrá cœlum diſtinet? Viciſti labore, penetraſti ſubtilitate, occupaſti celeritate omnia; vt non tu Sapientiæ, ſed Sapientia ſe tibi dedidiſſe videatur. ô nos beatos tam diuite Præſule. quid enim ditius Sapientia? PRIMI ET PVRISSIMI FRVCTVS EIVS, ACQVISITIO EIVS MELIOR NEGOTIATIONE AVRI ET ARGENTI. Vigebimus igitur, celebrabimur, demonſtrabimur. EN POPVLVS SAPIENS ET INTELLIGENS. Quî enim non intelligens, cum oris tui, ſuauiore melle fruatur eloquio? ô Ingenium, &, vt ille Terror gentium, ALEXANDER MACEDO, videns Diogenem in dòlio terram cum cœlis, æterna cum caducis componentem, exclamauit, O VAS SAPIENTIA REFERTVM: quid Sereniſſimus REX Noſter SIGISMVNDVS, cui tu tādiu conuixiſti, quid? nihil dico, exclamet Dignitas tua, prædicet Autoritas. citius optatiſſimo tuò vultu nos reficere debuiſti, niſi Aula inuidiſſet, niſi Ampliſſimus Senatus, Reipublicæ curis, amatorem Reipublicæ inuoluiſſet, circumſepſiſſet negotiis. piæ inſidiæ iſtæ fuerunt, ſed imbecilles. Venit FORTIOR ARMATVS, venit Angelus Pacis, Venit Deus, reſoluit vincula Regia, excitauit EVSTACHIVM, eduxit, reddidit ouili PASTOREM, filiis PARENTEM, naufragis SERVATOREM. Quid exultas, Vilna, quid triumphas? Grandes merces congeſſiſti, Rectorē Sapientem accepiſti, animas illi tuas, cæleſte depoſitum, commiſiſti: putaſne fore vt turbulentum fortunæ æquor fœliciter enauiges? ENVIGABIS: REgit Sapientia, & vt Aureus Poeta cecinit: Fortunæ victrix Sapientia. Ne ſcopulos extimeſce, Conſilium cuſtodit te: ne procellas exhorreſce, Diſcretio

defendit

defendit te: neq; tenebris terrearis; lumen ingenii illucet te. quid metuis adhuc? Errores? poteritne deuiare oculus ille, cui pericula maris, magnitudo orbis, spatia immortalitatis, termini Æternitatis penitus sunt perspecti? neq; precio, gratiâ, periculo, simultate, neq; laboris magnitudine, neq; difficultatum multitudine á recto se deduci SAPIENTIA patietur. aspirabit & illa Austrum velis, siquidem in illa Spiritus intelligentiæ Sanctus, vnicus, multiplex. domabit monstra, fugabit hostes, parabit prædam sagittis. Vtinam saperent Filii rebelles, et prouidentiæ paternæ solicitudinem agnoscerent; non ad infames scopulos periclitarentur, non à belluis sorberentur: sed quia errant sicut ebrii, ideo non merentur euadere vltionem sapientiæ, proditores prouidentiæ. Nos nostras spes omnes, cum omnibus suppliciis, tuis Genibus aduoluimus Præsul Illustrissime (præsertim Ego, quem venerandis tuis manibus è Fonte sacro suscipere dignabare) speramus enim laxius eas lautiusq; futuras, si ab eius Viri imperiis dependeant, cuius humeris vniuersæ rei literariæ Gloria incumbit.

NICOLAVS ZAWISZA

Ceruus ab excelso monte intuens Vilnam, igneas in Vilnam eiaculatur sagittas: cuius cornua Crucifixi radiant imagine.

VENITE FILII AVDITE ME.

Ceruus ab excelso prospectat vertice VILNAM,
Cuius amat sacrum Nobile stigma caput.
Ignea tela vomit, splendoreq; mœnia complet,
EVSTACHII hic quondam præda petita fuit.
Nunc tuus ô VILNA est. cape, circumcinge volentem.
O quanto radiant cornua sacra DEO.
Insequere. an metuis ne fors capiaris & ipsa?
Omnipotentis eris, ne fuge, præda Ducis.

Stemma Illustrissimi superiore sagitta cœlestem globum, inferiore terrestrem transfigens volat.

CONSEQVITVR QVODCVNQVE PETIT.

Pennigeræ volitant aduersa in bella SAGITTÆ:
Perforat vna polos, altera saxa secat.
Nobile stemma viget subtilis acumine ferri.
Acrius ingenii Præsul acumen habet.
Subiugat hoc terras, captiua hoc permeat astra,
Huic facilem præbent saucia saxa locum
O te Victorem celebri Sapientia lauro
Donet; & ipsa tuo vincitur ingenio.

E duabus

E duabus sagittis de cœlo prodeuntibus suspenditur Vilna, circa quam infernales grassantur flammæ.

TIMOREM DOMINI DOCEBO VOS.

Euomit audaces Phlegethon super æthera flammas,
  Ictaq; sulphureo subruit astra freto.
Vilna inter flammas duplici commissa catenæ,
  Inuocat æternum supplice mente DEVM.
Vrget corda Timor, pietatem prouocat Ignis,
  Et totâ exosum pellitur vrbe nefas.
O quam sana pius proponit balnea Præsul,
  Mundiciem renouant, perficiuntq; fidem.

Pallas Ignorantiam, fumo stultitiæ Vilnam obruentem sagittis configit, subministrante illas Aquila. Sol veritatis radios Vilnæ infigit.

QVI ME SEQVITVR NON AMBVLAT IN TENEBRIS

Præsuleam Pallas defendit ab hostibus vrbem.
  O quam tetrum halant turpia monstra nefas.
Errorum nebulas rabiosa Inscitia voluit,
  Infestumq; fugat, fauce nigra nte, diem.
Inuigilat Præsul, Iouis ales tela ministrat;
  Funditur infamis, Palladis arte, Cacus.
Ingens vis Veri est: sed & ardor Præsulis ingens;
  Quis/ contra hos Soles, audeat Erro loqui?

Inducitur

Inducitur hic ILL^mi INTELLECTVS, SAPIENTIAM, in quatuor eiusdem regnis, ESSE, videlicet, VIVERE, SENTIRE & INTELLIGERE, quasi fugientem, sagittis persequens Præsularibus: quorum tria prima expugnat, in quarto Sapientiam, se sponte dedentem inuenit, eiusq. pfruitur cõplexu.

SAPIENTIAM EIVS ENARRABVNT POPVLI.

ITE ô Præsuleæ, Decus immortale, sagittæ
Nobile certamen committitis, ITE, secundas
Promittunt magna ausa vias; iam pallet Olympus,
Iam terrena fremunt: vestra est uictoria, vestra est
Præda, ruat tellus, ruat & polus; ictaq; vestro
Vulnere denudent præcordia. Fulget vtrumq;
(Spes bona) quid dico? flammescit acumen vtrumq;
Æthnæosq; refert animos iras[q]; minatur.
Ite meæ laudes, Venabimur; Ite nec vlli
Parcite; vos celeres sequitur/ mea Musa per auras.
Forte per astrigeros Sapientia sparserat orbes
Virgineam formosa comam; quam Lucifer aureis
Miscebat radiis, qualis cum in flumine lotas
Dimittit per tecta faces: aut qualis Eois
Oppositas feriens nubes / ignescit in hastis/
Qualis & in speculo timidos dum territat ignes,
Mentiturq; nouos soles ludentiaq; astra
Fingit, & humanos fallit dulcedine vultus.
Ipsam autem niueæ circumstant vndiq; Natæ,
Instaurantq; decus capitis: pars serta pyropis
Induit, implexos pars explicat orbibus orbes
Verticis emissi: flores hæ, & candida nectunt
Lilia, marcentem hæ faciunt hilarescere cultum.

Cæsariem

Cæſariem cõmunt aliæ, doctoq; ſerenant
Pollice iam, iam multifidi diſcrimine dentis:
Balſama pars fundit, pars aurea fræna ſolutis
Crinibus iniiciunt & læto carcere ſtringunt;
Hæ baccis onerant, certantq; monilibus illæ,
Auguſtum donec ſupra caput inclytus ore
Aſtitit, & totum, Decor, in ſe vertit Olympum,
Suſpendens terras pariter nitidosq; iugales.
Tunc verò accinctas inter, feſtiua, Cupreſsos;
Ludicra Præſuleus plectro dabat Intellectvs,
Quomodo frondoſi celebrarint Orphea montes,
Orphea mellifluos reſonantem pectine verſus:
Quomodo conſtiterint vrbes, genteſq; ferino
Degentes ritu poſitâ ſint lege domatæ:
Quomodo manſueto variarum ſemina frugum
Committenda ſolo, quantoq; fouenda labore.
Interdum leuibus miſcebat ſeria: pangens
Quis reges & regna regat, quis caſtra gubernet
Innumeramq; manum, læſa cum accenditur ira;
Tum quis cæli author, quæ tantæ molis origo
Quis liquido ſolidam præcinxerit æquore terram,
Quis metas vndis & edaci fixerit igni.
Vidit & arriſit Sapientia; dulcia quippe
Labra / Aganippæis rapiebant æthera metris;
Dulcis & ex ipſo promanans gratia vultu,
Fundebat ſeſe generoſi fluminis inſtar /
Inuoluens animos ſecum ſpectantiaq; ora.

Ac velut in Matrem cum blando dente puellus
Sæuit, Nectarei repetens solatia fontis,
Quò magis oppugnat gratis plenum ictibus vber,
Hoc mage maternum tener in se accendit Amorem.
Sic & Præsuleus (pharetrâ quippe Acer & alis.
Tum Pueri formam tenerosque acceperat artus)
Hoc mage spectantis, Puer, inflammabat Amorem,
Quò plus de Stellis, Orbe, & Virtute canebat.
Atque, vt Matris Amor non est contentus amore
Quolibet, & vultum sæpe acrem & lumina fingit,
Sæpe negat quod sponte dabat, modo vexet amantē:
Non aliter dilecta suum Sapientia Natum
Dum videt errantem, syluasque ac astra trahentem,
Corripit. O, inquit, spernis sic spernis amantem
Ingrate? hæc merui pro tantis præmia curis
Ingrate? ignauo sic me postponis Amori
Ingrate? O facinus (sed corde hæc omnia ficto,
Quamuis commotam sermo faciesque referret)
Vicit te certando alter, meque abstulit, & nunc
Victor in aerio spolia inclytus explicat orbe.
Passus es hæc? quid serò taces? quid reddis? Amore
Exue te nostro, Non es meus. Horruit æger,
Totus & intremuit casu Intellectus atroci.
Postquam lingua ori roseus postquā ossibus ignis
Redditus, ingemuit, iunctisque ad pectora palmis,
Cerne recurrentem tua iussa, ò Virgo, clientem,
Nō sum ingratus ego, pcul hæc pcul omina, Non me,

Vlla dies a te non æmulus abſtrahet vllus.
Nil hæc mouerunt ardentem & torua tuentem,
Infremuit tantum, tenuesq; receſsit in auras.
O Natum gemit hic; Mater ne deſere Natum:
Quo fugis? Et cui me? ſequar, aſſequar. incipe tantũ
Incipe ſidereos nobis aduertere vultus,
Iam cupit, & leuibus pauidum æthera vulnerat alis,
Sed labor incaſſum; fractus vigor oſsa reliquit;
Concidit & fœtos lacrymis dum paſcit ocellos
Inuaſit ſopor ignarum ſtrauitq; gementem.
Poſtquam parua quies vires vitamq; refecit;
Tum ſecum; Quid iam facies? quo perdite perges?
Ceſſabis? turpe eſt non eſse quod ante fuiſti,
Pugnabis? neq; tot poteris ſuperare labores
Nil aliud reſtat: pugnandum ergo, æmulus ergo
Armis vincendus. poterit ſuperare labores
Quoſuis ipſe labor. labor Improbus omnia vincit.
Quod ſi deficiet, quod ſi vincetur & ipſe /
Non vincetur Amor: pugnandum eſt: ferte Sagittæ
Subſidium; veſtro Sapientia caſta labore
Inuenta eſt olim: veſtigia prima tenete,
Non vos effugiet: Nunc nunc incumbite: terras
Findite, Cocytum percurrite, frangite cœlos:
Nec prius ad mœſtæ limen remeate pharetræ
Quàm mihi dilectam prædam, dilectaq; Matris
Oſcula reddatis. dixit, Ferrumq; decenti
Impoſuit calamo(nam præſulis ante Sagittæ
Eme-

Emeritos, ſine ligno annos, ſine prælio, agebant)
Audacemq; Arcum belli ad certamina tendit.
Quattuor auguſtas Aulas auguſtaq; Regna
Ipſa ſibi ſtruxit Sapientia, Regna ſuperbis
Plena opibus, multum q; bonis regna inclyta gazis,
Sed fortes uigilant muri quatiuntq; tremendis
Squalidum Inane comis, nihiliq; cubilia ſpernunt.
Ipſa hæc Regna ſuis Sapientia laudibus ornat,
Nominaq; indit iis: ſit, ait, primum ESSE, ſecundum
VIVERE, SENTIRE ac INTELLIGERE ultima ſunto
Hic ſolet ipſa ſuos, quos vult nutrire clientes,
Has & præſuleus ſedes bene nouerat Ales.
Primum igitur leuibus penetrans pernicior Euris
Ingreditur, dulcesq; oculos huc vertit & illuc
Tectaq; deſpiciens, Elementa ibi, Mixtaq; cernit,
Neruoq; adducto trepidæ iam vulnera Terræ
Iam Vulcano infert: fugit Aer & vaga Tethys;
Sed non effugiunt; poſt hos ruit Aurea turba,
Aes, Sal, Argentum: mox immutabile corpus
Cœlorumq; domos vaſtat Phœbiq; iugales:
Tum Lunam Stellasq; premit tumidumq; Bootem,
Vulgusq; innumerum. Sapientia defuit. Ergo hinc
In regnum VITæ victricia ſpicula transfert;
Hîc ſyluas Plantasq; ruens, Segetesq; Roſasq;
Omnigenaſq; Herbas, ſuperat regalia SENSVS
Mœnia: Vidiſſes animarum hic millia prædam
Ardentis iacuiſse arcus, ſtratosq; ferarum

 Sagit=

Squamigerûm, volucrumq; greges: animoq; ferocem
Præsuleum audisses Puerum. si dignior es me
Rapta mihi, cui se iunxit Sapientia, prodi,
Solus in arma voco: vltrices cape corde sagittas.
Dixit, & in quartam frendens vi se intulit arcem.
Acrior hîc belli facies, hîc namq; supernis
Spiritibus stipata sedens Sapientia finem
Spectabat, roburq; sui mirata clientis,
Virgineo ardorem risusq; in corde tegebat.
Ille autem validis intorquens viribus hastam,
Nunc hos nunc illos versat, variasq; profundens
naturas, Matremne mihi occultabitis? inquit.
Reddite; vel mecum hîc hîc iam decernite ferro.
Dumq; ipsi vulnus dum intentat tela Tonanti,
Ter cassæ cecidere manus, ter territus arcus
Proruit (heu quantas puer inclytus iuit in iras)
Vix lacrymas tenuit, vix non Mauortia rupit
Vincula/sidereum tandem hîc Sapientia vultum
Explicuit/ qualis se offert post nubila Phœbus,
Expandensq; manus, sacro sic ore locuta est.
Euge beate puer sanguis meus: Euge parentem
Accipe & optatos huc adfer ad oscula vvltus.
pone beate puer suspiria, fessaq; bello
Tela: tua est, tua iam Sapientia. Dixit & almo
Exceptum gremio ter cordi appressit amico.
Ast ille è tenerâ matris ceruice pependit.

VIRTVTEM
DOMINAM
ILLVSTRISSIMI
AC REVERENDISSIMI D. D
EVSTACHII
WOLOWICZ
D. G.
EPISCOPI VILNENSIS
HOC HONORE
EXCIPIT

ÆGIDIVS CASIMIRVS
OSTROVCH



Fulmineo geminum ſcintillat acumine Telum.
O quanto pectus Præſulis igne calet.
Præſulis eſt ſanctum CHRISTI defendere Ouile,
Mente ſit ergo, decet, Præſul & ore potens.

IAm Nos ad ſeſe rapit VIRTVS tua, Præſul Illuſtriſſime, quæ quantò ſublimior, quantò Deo propior, tantò te nobis illuſtriorem, tantò Diuiniorem prepo-nit. hebeſcit omnis induſtria, in tam grandi glo-ria: nec intellectus ſe apud ſe inuenit, in ad-miratione tuæ vitæ abſorptus. altè quippe euectus es, tranſlatus es in ſolium Diuinitatis, Deo adhæ-res. rectè enim de te idem, quod de ſe VIRTVS TVA.

Poſuit me ſicut Sagittam electam

SAGITTA ES electa, imo SAGITTÆ in pharetra ſummi Imperatoris ex-cubantes. SAGITTÆ quas SPIRITVS SANCTVS huiuſmodi rerum peritiſſimus Artifex, in CHARITATIS ſuæ camino efformauit, IV-STITIAE limâ expoliuit, TEMPERANTIAE cote exacuit, CASTITA-TIS ſplendore illuſtrauit, COMITATIS, BENIGNITATIS, ORATIONIS, LIBERALITATIS promptitudine adornauit, vt fortiter pulſes cælos, penetres celeriter, dulciter ferias, ſuauiter vulneres, potenter hau-rias ſacroſancti pectoris diuitias. Hauris quotidie, frueris quotidie, & coniunctionis tam amabilis nimio plus retinens etiam gloriaris:

Meditatio mea in conſpectu tuo ſemper. Meditaris vt columba in foraminibus PETRAE, & in cauernis maceriæ. impinguaris adipe frumenti, & de petrâ mel-le ſatiaris. quis enim te arceat? MAGNA VIS AMORIS, MA-GNA ANIMI TVI, qui cum ad ſuum recurrit principium, ex in-finito creſcit infinitus, ex Potentiſſimo fortiſſimus, ex DEO alter DEVS. itaq; ſi ægritudine nunquam afficiatur, ſi deſpiciat humana, ſi dolores elidat, voluptates profliget, moleſtias opprimat, fortunam frangat, mortem contemnat, quid facere videbitur, contra quod non fuerit

fuerit ante armatus ac animatus? sciuit SVMMVS ANIMARVM VENATOR, quem elegerit ad tam GRANDE AVCVPIVM. si enim placuerit insolentes animos diuinis sauciare amoribus, sauciabunt sagittæ, si fugientes petere, obstinatos expugnare, frigidos inflammare, petent, expugnabunt, inflammabunt sagittæ. AD VTRVMQVE PARATVS VIGILAT PRAESVL: vnâ se ipsum cœlis infert, alterâ Terram, alterâ VILNAM secum rapit sagittâ. Quid hæremus adolescentes? quid dubitamus? En viscera Filiorum, PRAESVL ILLVSTRISSIME, en pectora: pete, expugna, incende: tua verbera lætitiam, tua vulnera sanitatem, tua incendia vitam restituunt: tuis emori fraudibus, tuis inuolui retibus summæ felicitatis est, vt eadem effugere summæ miseriæ & calamitatis. Quod si sagitta IONATHAE adeo fortunata extitit, vt nunquam redierit uacua: fortunatissimas iure optimo tuas prædicabimus, PRAESVL ILLVSTRISSIME, quibus gloriosus ille VENATOR, SANCTISSIMVS PATRONVS TVVS EVSTACHIVS, in scenam a nobis, tibi SPECTATORI beneuolentißimo datus, dum prædam persequitur, præda ipse factus, ipse captus est. Vtinam tota VILNA præda tua sit: quod cernere quidem nondum licet, sperare licet: tanto enim PRÆSVL ILLVSTRISSIMVS ac RELIGIOSISSIMVS promouendi cultus ac HONORIS DIVINI exarsit desiderio, tanto abreptus amoris proximi zelo

Vt si totus illabatur orbis impauidum feriant ruinæ.

AEGIDIVS MICHAEL OSTROVCH.

Sol armatus radiis & sagittis, vrbem vilnam suis complectitur visceribus.

ILLVMINATIO MEA ET SALVS MEA.

Vrbs in sole micat, rigidis præcincta sagittis.
Terrâne an cœlo nobile fluxit opus?
Et ferit & recreat; rapit ad se, lumina, splendor:
Implet at horrifico multa sagitta metu.
Præsulis hoc opus est; Virtutibus induit vrbem:
Splendet flore nouo, Vilna, decore nouo.
Cerbere, ne violes; ne lædas, Pluto, decorem;
Stant in perniciem, spicula mille tuam.

Amor divinus, tiara ornatus, igneis sagittis vulnerat, succenditq; vilnam.

VENI IGNEM MITTERE.

Quis pharetrâ calamisq; potens, nitidusq; tiarâ;
Funesto Vilnam delet, & arua rogo?
Præsuleus iaculatur AMOR; ne flete Timores;
In sacra ipsius nulla ruina, nece.
Mansuetos ignes, blandos iacit ille Calores;
Ne vestra æterno torpeat aura gelu.
Crescite cœlesti, pia pectora, crescite flammâ;
Creuit in hoc Præsul, CHRISTVS & ipse, rogo.

Sbgit-

Sagitta Præsulis, CHRISTI pectus penetrat, indeq; deducit imbrem in circumfusam frugibus Vilnam.

ADIPE FRVMENTI SATIAT TE.

Ecce, quid in ſacro non audet corde ſagitta;
Præſuleà in CHRISTVM miſſa ſagitta manu!
Irrigat auguſto ſitientes flumine campos,
Surgit & è ſacro florida fonte Ceres.
Fœcunda Angelicis vallantur mœnia ſpicis,
Exhilarantq; altos horrea plena lares;
Non ſe Vilna capit: lætare ô Vilna, triumpha;
Præſule magna nouo es, munere magna Dei es.

Supra Vilnam flectens excubat nocte Præſul, e cuius ore ſagittæ igneæ petent auxilia a Deo ad tuendam Vilnam, mittuntur pharetratæ Angelorum phalanges.

ECCE NON DORMITABIT NEQVE DORMIET.

Securos cape iam ſecura Eccleſia ſomnos;
Præſuleum pro te ſtat, vigilatq; genu.
Ignea ab accenſo prorumpunt pectore verba,
Et ſpargunt rutilas usq; ſub aſtra faces.
Ipſe Deus tantâ fixus prece: mille pharetras,
Imò ad præſuleas, dat ſua caſtra, preces.
Si lubet, æternos cape iam Lithuania ſomnos,
Omne in præſuleo robore, Robur habes.

Vulne-

RELIGIO, Præsularibus armata sagittis, CHRISTVM expugnat, ILLVSTISSIMVMQVE EVSTACHIVM VOLOVICZ VILNÆ afflictæ PASTOREM impetrat.

VVLNERASTI COR MEVM SOROR MEA SPONSA.

Diuinas acies sacrosanctaq; prælia mandat
Sidereus narrare orbis; quo prædita telo
RELLIGIO, quâ cincta manu, quibus inclyta turmis,
Irruerit cœlos expugnâritq; Tonantem,
EVSTACHIOq; sacram tulerit, dederitue Tiaram.
Ne fuge, ne citharã Phœbe abiice, cur pia condis
Lumina? cur roseo tacitus pudor errat in ore?
Humanum, blandum, iucundum, mite benignum est
Præsulis ingenium. cane quod potes: audiet ille,
Quin etiam largo tua condiet arma fauore.
Lugubris atrato Voynam deflebat amictu
Atq; Palatinum RADIVILVM ad sidera ductum,
Vilna; fugit geminus Pater, ah Pater: vndiq; sæuis
Fluctibus inuoluor, consumor & vndiq;, dextram
Porrigite ô Superi. sic clamitat, oraq; pleno
Amne rigat, laceratq; comam, pulsatq; pudicum
Sancte tuum, CASIMIRE torum, viduiq; dolorem
Pectoris ostentat, defletaq; pignora monstrat.
Audiit afflictæ SANCTVS lamenta; vicemq;
Ingemuit, celsos superans simul, arduus, orbes,
Stellantem stetit ante thronum: fremit icta rubore,
Regia Virgineo: iuuenem stupet ipse Supremus
Rex hominum, causasq; iubet proferre doloris.

Ille, ter auguſtum veneratus poplite Numen
Incipit. O magni ſoboles æquæua Parentis,
Muſſantes plateas, vlulantia reſpice templa,
Paſtoris mœrore ſui, quem liuida mortis
Hauſit hyems, quem ſæua meæ colus abſtulit vrbi,
Inſuper & mœſtam vexat ſobolemq; gregemq;.
Quid tandem Pater alme paras ? da fræna dolori,
Da lachrymis finem. ſicne Vrbs patre orba iacebit
Præda feris epulæq; lupis? nunc optime Paſtor
Da paſtorem alium, qui ſanctum paſcere nôrit
Tutariq; gregem ſtygioſq; arcere Leones.
Olli ſidereo GENITVS DEVS obviat ore.
Deliciæ CASIMIRE meæ depone dolorem;
Et me cura eadem, & maior fortè remordet:
Sed permitte mihi, res magna & plena pericli eſt.
Quem labor iſte putas hominem petit? igne profecto
Igne meo ardentem qui flammis ambiat vrbem,
Et gelidas urat mentes, qui ſaxea corda
Conterat, atq; meo contrita emolliat igne;
Ceruices frangat duras, moresq; ferinos
Auferat, & ſanctum colat indefeſſus Ouile.
Quem fore ſcis talẽ? quibus ille vocandus ab oris?
Quo precio redimendus erit? Quare iſta relinque
O CASIMIRE mihi; fixa eſt ſententia cordi,
Non prius afflictam ſolari Præſule Vilnam
Et Paſtore nouo, quàm ex ISTO VVLNERE ſanguis
Effluat, à telo magni protractus Amoris.

Vix

Vix hæc ediderat, cùm magno infensa furore
Dia Sagitta volat, solidumque interrita cœlum,
Transit & in roseo CHRISTI se pectore condit:
Intremuêre poli, stetit anxius axis vterque.
Ecce autem pietate ferox aliâque Sagittâ
Relligio clamore polum superosque petebat:
Summe Deus, quæ tela geris? quæ vulnera? quis te
Quis sacratum ausus ferro temerare cruorem?
Ille autem magni flamma labefactus AMORIS;
O mea sponsa, tua hæc manus, hæc tua vulnera? totũ
O soror hausisti pectus; date Lilia, totus
Langueo, iam sacrum bibit alta sagitta cruorem,
Et bibat. hoc vulnus sacrati est Vulnus AMORIS.
Illa iterum, placuitne ictus feruorque sagittæ?
Annuit Omnipotens: audi Pater (excipit illa)
Virtutemque huius cognoscant astra Sagittæ.
Hâc quondam Mauors, hâc usa Minerua Sagittâ
Dum decus à libris petit hæc, petit alter ab armis:
At post Virtutis facta est. hanc ergo supernas
Edocuit leges PIETAS: diffindere cœlos,
Visere supremum pectus, lætam ire, redire;
Sidereas penetrare plagas, conquirere gazas,
Prædam agere, excelsisque frui, pia vota referre,
Hanc ego dum flagro, placidis immittere cœlis,
Dicam, summe PATER, dicam, tua pectora fixi.
Cerne aliam, par est animis/par robore ferri
Nobilis; hoc dispar, quòd terram obversa tuetur.

Hæc resides animos cœlesti informat amore,
Hæc fera corda ferit, mox vulnere saucia sanat:
Tela duo hæc, duo sunt flammantis acumina Amoris
Quo Tu diligeris, quo Proximus; his ego Vilnam
Nunc solor, reprimoq; lupos, luctusq; guberno.
Quare age, sancte Pater, (si fert ita sancta voluntas)
Hunc da Patrem vrbi, tua qui mandata flagranti
Corde colat, summoq; tui magnoq; cremetur
Plebis amore tuæ, sed quis tanto emicat igne?
Cuius Stemma gero, cuius pia robora canto,
Sol genere, ingenio, pietatis & arte, VOLOVICZ.
Dixit, idem sanctæ fremitu petiêre cohortes/
Ille graue adspectans sacrosancto in pectore vulnus.
Vicisti mea sponsa (inquit) tua tota potestas,
Vicisti: tuus ecce regit tua templa VOLOVICZ,
Æternusq; regat: capiat sua præmia virtus.
Ite, ite ô superi, scandenti occurrite/ currum
Cingite, Pæanem connectite, texite laudem/
Præsuleum sacrâ caput exornate Tiarâ.
Effundunt sese Superi: tonat axis vterq;.
Luxuriant splendore viæ / feruore plateæ.
Ingreditur Præsul, præit altus vertice Mauors,
Mille pharetrati loricatiq; sequuntur.
Succedit niueo Sapientia candida curru,
Rhetoricen, Logicen, reliquasq; amplexa sorores.
Hãc pietas, hanc Virginitas, hãc pectore aperto,
Simplicitas, rigidoq; subit Prudentia vultu.

Omnes

Omnes præſtantes animis armisq; decoræ.
Has iam regali Regina Eccleſia pompà,
Proſequitur, vultusq; in ſe conuertit & ora
Spectantis populi: iuvat ire & uiſere Matrem:
Illa, graui varias percurrens lumine partes,
Maternas tractat curas, tacitamq; ſalutem
Impertit natis. Auidos auriga iugales
Propelle. an dormis? Paſtorem profer amanti,
Confeſtim profer Vilnæ, iam buccina lætam
Præmittit vocem; iam intrat Taratantara, Præſul
Ecce intrat magnis ſtipatus Honoribus, ecce
Diuinos inter proceres conſedit, amico
Omnia tranquillans vultu. cinguntur vtrinq;
Auguſtis latera obſequiis; Tua Dextera Dextram
Diue, tenet Stanslae, tua at, Casimire, Siniſtram.
Acer equo ducit diuina Georgivs arma,
Aligerûmq; choros, Confeſſorumq; phalanges,
Veſtibus inſignes niueis auroq; coruſcos
Non tot formoſos Iunonia virgo colores
Induit/ in molli dum ſe circumſpicit aura
Dum picturato recreat mœſtum aera gyro:
Non tot phœbus alit, conuexo in culmine, ſtellas;
Qvot gauiſa ſuo accepit cum Præſule Vilna.
Ad ſacras vbi ventum ædes, Diuoq; dicata
Templa Stanislao, quis digno carmine pompam
Perlegat? omnis ibi conſerto ſe agmine frangens

Flos

Flos ſtetit/ignifero quem ſol complectitur orbe;
Fulſit & omne decus, magno fulſère ſereno
Culmina/ muri ipſi præ maieſtate tremebant;
Poſtquam iuſſa quies, profert veneranda Tiaram
RELLIGIO, ſacrumq́ ſacro Diademate crinem
Condecorat, frontemq́ premens hæc ore locuta eſt.
Quò DEUS euexit felix pete culmen honoris,
Præſul; neu ſubeant obliuia temporis huius,
Sint in honore tibi, DIONYSIA ſacra quotannis;
Sint in honore pari ſacra Martinalia: Mitram
Dant ea Varſauiæ; Vilnæ, hæc dant iura Cathedræ.
PRÆSVL in his imitamen habes; in utroq́ colendæ
Relligionis, & augendi mea, ciuibus, Aſtra:
Vtq́ augere queas, Tithonia ſecula vive.
Vive VOLOVICIAE celeberrima GLORIA Gentis,
Maieſtas te ſumma ſuo præponit Ouili.
Vive DEO Vilnæq́ tuæ, ſolare iacentem,
Confirma infirmam, tege laſſam, paſce famentem,
Erige lapſam, anima timidam, defende modeſtam.
Dilectas tibi tradit Oues, proprioq́ redemptas
Sanguine: ſit charus labor hic, neq́ pondere victus
Ceſſeris, infracto graue nil, nil inuium amori.
O ter Viue quaterq́ meæ lux inclyta Vilnæ:
Dixit, & ad feſtum ſonuerunt ſidera plauſum:
Organa Vive ſonant, viue Arx, vive arciger Vrus.
VIVE ergo Regnet, claudat mea carmina, VIVE.

ÆGIDIVS CASIMIRVS OSTROVCH.

FELICITATEM
COMITEM
ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO D. D.

EVSTACHIO WOLOWICZ
D. G.
EPISCOPO VILNENSI

GRATANTVR

CRISTOPHORVS ZAVVISZA
GEORGIVS DRASLAVVSKY



Vilna, caput Litauûm, nulla hinc adverſa paueſce,
Te tutam excubitrix bina Sagitta dabit.
Votis ergo onera duplicis Myſteria teli:
Hoc pacem, æthereas ſpondet at illud opes.

Ingredere igitur ô LÆTITIA ISRAEL, ô GLORIA POPVLI NOSTRI, diuq; expetitâ tuâ præsẽtiâ, tristitiã nostrã refice, bea sapientiâ, recrea virtutibus, paternis circumcinge affectibus. Te enim te accipimus Parentem vitæ ac Magistrum salutis nostræ, qui non minori tuâ prudentiâ q; ꝓuidentiâ honorem diuinum promoturus, negotium animarum nostrarum tractaturus, hostium audaciam virtute superaturus es ac depressurus, merito igitur non te hominem sed ANGELVM de cælo demissum intuemur, totam ACADEMIAM Lithuaniamq; in tui admirationem ac salutationem abripientem: ipsæ Turres, ipsi Muri Vilnenses, uix è suis non exiliunt sedibus, ut VIGILANTISSIMVM PASTOREM, VT PARENTEM amplectantur charissimum, ut illi aduentum felicem, felicem nouæ dignitatis ingressum gratulentur. Quoties ego te nobilissima METROPOLIS LITHVANIÆ has effundentẽ audiui querelas? Quousq; tandem ANTISTES ILLVSTRISSIME dulcissimo nos tuo illo vultu, iucundissimo priuabis aspectu? quamdiu in tenebris, quamdiu in luctu versari sines? quamdiu anxiam & solicitam confici patieris? exurge DECVS, exoriare GLORIA MEA, nihil iam inueniri potest quod tam immenso dolori, tam ardenti desiderio respondere poßit. Hæc Nos cum illa uniuersi prolocuti sumus, his te vocibus, his gemitibus inuitauimus. si enim parentes chariß:mos habere debemus, quod ab ijs vita nobis tradita sit: si familiares quorum lætissimo perfruimur consortio: si amicos quorum beneficio sustentamur: immensum ac infinitum est quod tibi debeamus, qui parentum beneficia, amicorum gratiam, solatia familiarium vno omnia tempore tecum nobis ampliora cumulati oraq; restituis. tuis exemplis, tuis monitis & institutis salutaribus ad vitam educamur sublimem, ad gloriam instituimur, ad regnum beatarum mentium præparamur ad æternam disponimur felicitatem. Certe si quando PROVIDENTIÆ DIVINÆ ꝓ collatis in nos tum variis tũ multis beneficiorũ generibꝰ obligati fuimꝰ, hoc die, nõ obligamur

sed

ſed ſtringimur, non oneramur, ſed premimur, non ad ius citamur ſed aendimur , cum TVÆ ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINIS præsentiâ perfruimur. OPTIMVM MVNVS, OPTIMVS PARENS, Dux VITÆ peritiſſimus. TV CVRATOR, TV DVX NOSTER, TV VICARIVS DEI cui Copiæ & Inopiæ nostræ ſe inclinant. & iure. vt veloces Sagittæ ſic Manus tuæ, ad benefaciendum non terrendum. QVEMADMODVM igitur ſolis verno aduentu vix dici poteſt quantopere natura recreetur, reuireſcant prata, renouentur agri, refloreſcant ſyluæ, renaſcantur omnia, ſibiq; reſtituantur: ſic fama tui ſolummodo itineris, quas non peperit gratulationes? ardebat ciuitas, effundebatur Senatus, effluebat populus, confluebant viciniæ, aduolabat Nobilitas: vidiſſes adoleſcentes viris, ſapientes plebi, Religioſos homines vulgo permiſtos, omnes vno animi impetu Præſulis ſui Illuſtriſſimi vultum expetentes, amoris ac beneuolentiæ pleniſſimam dexteram exoſculari cupientes. Exoptatus igitur tuus aduentus tantæ nobis eſt conſolationi, quanto inimicis noſtris dolori. IN TE SAPIENTIAM IVVENTVS, IVSTITIAM SENATVS, INTEGRITATEM DEO conſecratus, PROVIDENTIAM Populus, LIBERALITATEM intuetur liberalis. Nos igitur cum vniuerſa ACADEMICA iuuentute hunc ingreſſum tuum feliciſſimum tibi gratulamur: petimusq; vt inter cætera, quæ ab vniuerſis Ordinibus eximia tibi Amoris beneuolētiæq; exhibita ſunt teſtimonia, noſtrum hoc quale quale gratitudinis ſubiectioniſq; ſtudium, paterno excipias vultu, tuearis affectu.

CHRISTOPHORVS ZAWISZA.

GEORIVS DRASLAWSKI.

Coniungitur Luna Soli, duabus Illustrissimi Sagittis, radios ligantibus. In sole Præsul, in Lunâ Vilna rutilat.

QVOD DEVS CONIVNXIT HOMO NON SEPARET.

Quæ noua formosæ prodit præstantia Lunæ?
En, quantus Litauo Phœbus in orbe micat.
Iunguntur duplici radios sociante sagittâ,
Sed longo distat Lumen vtrumque gradu.
Nobilis ipse suâ Phœbus virtute coruscat,
Phœbæis radiat Luna beata comis.
Coniunctis igitur duo LVMINA viuite flammis:
Sit tibi, Præsul, amor, sit tibi, Luna decus.

Vilna triumphali ascendit cælum curru per confecta & exporrecta Illustrissimi sagittis Vitia: duo Angeli trahunt currum:

CADENT A LATERE TVO MILLE.

Vilna triumphali, per monstra exanguia, curru
Angelico victrix fertur ad astra pede.
Sub curru Scelus omne gemit Luxusque Gulæque,
Et ferrugineis torua Libido comis.
O quanta invictis debetur gratia telis,
Nascitur è quorum tanta labore seges?
Vilna, potes totum factis suspendere Olympum,
Præsuleæ ad nutum sis modò prompta manus,

Palma in coronam flexa Vilnam germinat, ex Palmæ corpore duæ in duas partes exeunt Sagittæ, quarum vna ligatum Solem, altera ex altera parte Lunam catenat.

GLORIOSA DICTA SVNT DE TE CIVITAS DEI.

Huc ades euectæ cui cordi eſt gloria Vilnæ,
Cernisne in tanto vertice quanta cubet?
Præſuleæ retinent Solem Lunamq; Sagittæ.
Æterno vt vigeat Sole, nitore micet.
Gloria non melius credo ſedet. Omnis in illâ,
Quam petis, effulſit gloria, regnat honor.
EVSTACHIVS Sol eſt, Virtutes ſidera; Pacem
Palma refert, fructum Luna, Corona Deum.

Grus duplici capite, vno orientem, altero occidentem ſpectans in vtroque Sagittas gerens, cornucopiam inter capita tenet, æreæ in arce Vilnenſi alligata trabi.

REPLEBVNTVR VBERTATE AGRI TVI

Tu, quæ bis gemino diſtinguis tempora vultu,
Dic, cur æratæ ſis religata trabi?
Cur duplici duplicem conſtringis in ore ſagittam,
Grataq; fœcundo guttura Vere premis?
Præſule credo nouo / noua nobis tempora ſurgunt,
Quod noua præſuleo Grus notat orta die.
Sic eſt, felici tenet omnia acumine PRAESVL,
Ipſum etiam ſacro ſi tenet ore Deum.

GEORGIVS DRASLAVVSKY.

Timor

TIMOR Vilnâ fugiens hic inducitur, causam Poeta occurrens inquirit: PRÆSVLEM ille accusat, cuius Patria VIRTVS, Bella & Seditiones: SAPIENTIA, Ignorantiam & Errores: PIETAS, vitia & prauas consuetudines profligârit. sed reducitur a Poetâ CLEMENTIAM ILLVSTRISSIMI prædicante.

POSVIT FINES TVOS PACEM

STa Timor, & quorsum? cur anxia pallidus ora
Iam per Hyperboreos orbes, iam per vaga Ponti
Murmura circumfers? alias meditaris in ædes?
Quis te vrget casus? quis te proscribit ab vrbe?
Ille sed obuerso demittens lumina vultu,
Ah sine: securam seruat Pax aurea Vilnam;
Me binæ, ah miserum pepulerunt inde Sagittæ;
Exul in æternam damnor sine crimine noctem.
Dixit, & ancipites celeri mouet agmine planta s
Sta, repeto; Pacemque istam, binasque Sagittas
Clarius explana: quæ tanta potentia Vilnæ?
Quis nouus hic Custos? Verbis ille obuia reddit
Verba: Iubes magnum Iuuenis renouare dolorem,
Et me vincla vocant; dicam tamen, arrige mentem,
Si quid opis nosti, mihi tu ne absconde vicissim;
Et simul in viridi Ponari assedimus herbà.
Tunc sic orditur, semesaque verba relinquit.
Vix propriâ sedit Præsul metuendus in aulâ
Vix hilari lætam vultu recreauerat vrbem;
Cum Phlegethontæis surgens è sedibus atrox
Belua, centenæ circum præcordia flammæ,
Mille doli, effrenis facies, vox rauca, capilli

 sibi-

Sibila ſerpentum rabiem viruſq; gerentes;
Cæca, audax, præceps, frendens, ſcelerata, cruenta;
Dextrâ ſulphureum calicem tenet, aurea & extra
Forma: ſed æterno ſatians decepta veneno
Pectora: mucronem tædas turbaſq; ſiniſtrâ
Porrigit, ô Terræ, Monſtro huic ne fidite Terræ.
Hæc vbi funeſtum caput extulit, altaq; vidit
Mœnia Præſuleis horrere frementia telis,
Improba ſic ſecum: Mene hic deſiſtere victam?
Has ego ſpectabo incolumes floreſcere terras?
Has ſpectabo arces? potuitne evertere mundum
Infeſtis Venus vna vndis? piceone Gomorram
Luxuries potuit Sodomamq; involuere fluctu?
Sic ego ſic vincar? vincar, cui mucro tenaxq;
Flectit colla furor? cui dextera Dextera Martis,
Plena animo, fæta inuidiâ ſitienſq; cruoris?
Non ſic: Quid tandem caput hoc, quid ſurrigis audax
Vilna? quid audaces effers ſuper æthera criſtas
Deſpectura caſas noſtras? vos Tartara teſtor,
Dextrâ hac fracta rues, terræq; æquabere dextrâ hac.
His tumida ac atros exſpirans faucibus ignes,
Plutonis nigra clauſtra petit, Stygioſq; Penates.
Eſt locus antiqui Ditem dixêre, per ima
Viſcera diſtentus Terræ prægnantis: Acerbum
Per noctes luceſq; gemens: ſtant ignea circum
Mœnia flammiferaſq; colunt Monſtra horrida rupes,
Cuncta tenet clamor ſæuus: cuncta occupat ignis,
Sulphur

Sulphureis permistus aquis piceisque lacunis.
Ira, Furor, Scelus, Inuidia, immanesque Megæræ,
Horrisono obseruant squalentia lumina vultu.
Intus tabificæ rodentes viscera flammæ,
Crudeli exercent damnatorum agmina in amne:
Vnà ignisque dolorque furit teterque procellis
Fœtor in ambustas iacit obvia stercora nares.
Lamentis tremit omne antrum; iam Nata parentem,
Iamque Parens ipsum blasphemâ voce Tonantem
Impetit: emissus volitat cum sulphure stridor.
Luxus Auaritiam gaza implet & obruit auro;
Luxum, dira Fames pallorque Sitisque fatigant:
Quin proprios etiam morsu desæuit in artus.
Omnia succensi Rancoris plena; ruebat
Effrenis, rabidas turbans, Discordia, turmas:
Mors animũ, Mors ora premit, Mors pectora vellit,
Mors optata etiam æternos si demeret annos.
Huc allapsa igitur Cocytia bellua notum
Ingreditur Plutonis iter: vastum ille per Orcum
Æstuat, insanos agitans in bella Molossos.
Iamque ingens plenis vehitur per Tartara velis
Fama: venit nostras magnus venit Hospes in oras
Orcicolæ: occurrit Pluto cum Cerbero & omni
Excipiunt studio venientem & prole coronant.
Illa autem rabido quassans præcordia motu,
Arma, arma, infœlix Pluto, rapito arma. Perimus,
Carpe nouos, Pater eia enses; tua filia supplex

Flagito ni veſtras malitis perdere gentes;
Infremuit Pluto, verbiſq; exaſperat iras:
Quis nouus Hoſtis ait noſtrum prædatur Ouile?
Effare, & totum trahe mecum in prælia Auernum.
Illa grauem gemitum furioſo è pectore ducens/
Magnus, ait, Præſul. Præſul? Pluto excipit; Ite
Effuſus terras omnes cruor irriget, ite
Tartara; certetur ſcelere omni; euertite Vilnam,
Totamq; in noſtras prædam conuertite flammas.
Erumpunt laruati Hoſtes, fumoſaq; Bella,
Inuidia, Ira, Furor, duplici Diſcordia corde,
Luxus, Amor lucri, tumidoq; Superbia faſtu
Obducunt ſolem tenebris, haloreq; triſtes
Inficiunt campos; cæco Ignorantia calle,
Cæcum agmen ducit murisq; obſcura propinquat.
Vt ſteterunt acies, turbatus inhorruit aër
Lapſaq; de cœlo gemitum fulgetra dedêre:
Agnouit fraudes Præſul, genibusq; profuſus/
Æternum cœli compellat voce Tonantem.
Ter veneranda Trias, ſi me tua dextera ſancto
Præpoſuit ſacrata Gregi; da vincere fuſcum
Agmen, & infernas muris arcere Phalanges.
En nomen violare tuum, tua templa ſceleſtis/
Præſumunt ſcelerare armis: diſperde nocentes,
Sacrilegasq; vno detrude in Tartara verbo.
Vix hæc ediderat / ſubitò cum armata ſagittis
Aſcendit muros Sapientia, millia ſecum

Bellan-

Bellantum Iuūenumq; trahens. LAVS Bellica partem
Cum numeroſo aliam ſcandit pede: Relligioni
Tertia pars vrbis ceſsit; quartam ipſe ſupremus
Aligerûm Ductor multo mucrone tenebat.
Poſtquā in conſpectum ventum. volat Ira Furorq;/
Exoritur clamorq; ingens clangorq; tubarum.
Prima ſubit muros cæca Ignorantia; contra hanc
Præſuleam magno miſit ſtridore Sagittam
Dux inter turmas Sapientia; fulmine at illa
Ocyor aduerſum perfringens pectus, in altas
Irrumpit vitæ ſedes, Monſtrumq; trucidat.
Corruit & trepido ſua caſtra horrore repleuit.
Diffugiunt turbatæ acies Ductrice perempta,
Vitricesq; manus, tergo excepêre fugaci.
Nec minus ex aliā clamoſos parte Furores
Bellica LAVS urget: iacet exporrecta per agros
Seditio; fruſtraq; ferus belli intonat Ardor.
Heu Socii, nullæne manus? nullumne tremendis
Robur ineſt armis? hæcne hinc reſponſa feremus
Plutoni regnoq; eius? State inclyta bello
Pectora. dum clamat, vaſto ſubit ore Sagitta,
Damnatumq; caput ſtygiâ circumligat vmbrâ;
Labitur immorſo ferientis corpore teli;
Et ſpiſso explicuit fugientia pectora tabo.
Illum autem, nec ſæua canum nec ſæua luporū
Attigit eſuries poſthac; neq; nocte volantes
Impaſtæ guſtaſtis aues; tam ſordida Monſtro

Proli-

proluuies, tam dira Caro. vix iſte peremptus:
Ecce nouis, noua Fama, Tubis plateasq́ domosq́
Circuit, & plenis implet vaga compita buccis.
Vicit Relligio: cecidit Scelus, omnis & Orci
Fax cecidit: vicit præſul: Sapientia victrix:
Victrix Relligio: victrix Laus bellica, victrix.
Tunc ſecura omni reſonabat carmine Vilna
Aurea pax templis, pax aurea venit & vrbi,
Maieſtate ingens / ramoq́ inſignis oliuæ.
Sic ego, ſecurâ quid iam facturus in vrbe,
Dum variam mentem varios impello per æſtus
Elegi exilium, ſtatuiq́ relinquere Vilnam.
Sic ait, & celeres plantis accommodat alas.
Tunc ego (nam à vultu pendebã hucuſq́ loquẽtis)
Surge, beate Timor, mecumq́ reuertere. Dixi
Vir bonus es, præſulq́ bonus, bona cuncta ſequẽtur.

CHRISTOPHORVS ZAWISZA.

HONORES EMERITOS ILLVSTRISSIMI

AC REVERENDISSIMI

D. D. EVSTACHII WOLOWICZ D. G.

EPISCOPI VILNENSIS

VENERATVR

STANISLAVS VVOYNA

CVM RELIQVIS MVSARVM CVLTORIBVS



Cum Chirone suos Dictynna redintegrat arcus,
Illocat vt Cathedræ Vilna Volovicium.
Tela, ait Areitenens, vltro tibi cedo, Voloviecz;
Affectare doces Astra, pauere Stygem.

PErge vero, ni molestum, Reuerendissime ac Illustrissime Præsul, cœpto Felicitatis ac Humanitatis gradu, HVMANIORIS LITERATVRÆ Cultores ne dedignare. Arpinatia in Honoris Tui PRæsularis templo, suspensa HONORARIA animo placidissimo expendisti, oculis fauentissimis Perlustrasti, Maiestatis Tuæ fulgore, minus e tholis nitentia illustrasti. Pernouisti, opinor, quanti faciat stirpē Tuam Academica Iuuentus, quo affectu sapientiam, virtutem, Dignitatem amet, æstimet, colat. Non immemor Socratici illius:

Diis thura, laudes viris probis

deberi. Te, profectò, si non tam virum probum, quam ipsam probitatem indigitauero, nullus mentiar. In Tuum siquidem sinum tam variæ tam eximiæ Dignitates conuolarunt, vt eas non quisq; impulisse, sed, vt Andromadas aurum, ipsa Virtus attraxisse videatur. VIRTVTEM VESTIGAT HONOS VT ADORNET EANDEM. Hinc scitê admodum Romani, Rerum Domini Fanū Honoris, ita Fano adstruxerunt virtutis, nemini ut aditum ad Honoris Adyta, nisi per Virtutis Delubrum, statis religionibus cultum, patere voluerint. Hac scilicet symbolicá ædium sacrarum consociatione testati, tum demum Reipub. incrementum sartum tectum fore, si soli VIRTVTI HONOR decernatur. Decreti sane huius, quod, si honores ambientium & quâ prece quà precio eblandientium importunitati mos gerendus, seruatu est perquam difficile: si æquitati Reiq; CHristianæ rectè consulendum, cumprimis laudabile: retinentissimū esse S. R. N. SIGISMVNDVM III & videmus & vero gaudemus: neminem hic æquissimus officiorum æstimator nisi probatissimum quemq;, Purpuratis atq; Mitratis Patribus accensēdum censet. quorum in album Te A: R: albo Regiæ Prudentiæ calculo adoptatum, summa PONTIFICIS MAXIMI PAVLI V. voluntate, authoritateq; confirmatum, omnium ordinum faustis acclamationibus comprobatum

batum iure optimo, cum bonis omnibus, Academici lætamur. quam sanè lætitiam certatim Apellæo & Apollineo, Graphico & Scenico, Typothetico & Prosphonetico, & quo non? publico Gratulationum genere testatissimã facere nitimur. Pontificiam hanc Dignitatem, quæ in terris est maxima, quam, cum solo propemodum Sanguine mereri potueris, virtute maluisse Te ac Eruditione consequi, etiam atq; etiam gratulamur. vicit, vt videmus, famam expectatio: expectationem antegressa est consentiens omniũ præsensio: præsensionem felicissimus excepit euentus, dum PORTAM HONORIS REVERENDISSIMO PRAESVLI EVSTACHIO VOLCVICZ virtutum non minus quam Nataliũ splendore ILLVSTRI HEROI, ad clarissimas quasq; functiones nunquam non apertam, nunc ad omniũ, in hac Republica, eminentissimã Dignitatem gloriose patefactam conspicatur. Hanc honorificentissimam Teq; dignissimam A. R. HONORIS PORTAM Bilbilitanã nostra non satis amæna Camœna, cum suis alumnis, Tibi deditis clientibus: hagiographicis antepagmentis, Noematicis epistyliis, Emblematicis encarpis decorare conata est. sin minus conatui respondet euentus, elegantia Tua, Tyrones cogitans, mitiorem in partem accipiet: cum tua & vita & oratio consecuta nobis videatur difficillimam illam Societatem Grauitatis cum Humanitate. Nos interim, ex animo, RERVM OMNIVM DOMINVM comprecamur, hic vt ECCLESIASTICI REGIMINIS HONOS Tibi totiq; Patriæ sit bono: Ecclesiastica hæc, Te clauum moderante, Argo, vigiliis Tuis inter hostes sit incolumis, inter fluctus illæsa, inter pericula secura, suum secundo Fauonio conficiat cursum: triumphet de perfidis sectis Religio, floreat Fides, vigeat Pietas, regnet honestæ, Tuo præsidio ac subsidio tectæ beatæq;, Disciplinæ. quæ res eiusmodi sunt, quæ Tuis auspiciis auctæ, conseruatæ, & in aciem deductæ, Tibi, non viginti supra trecentos, quot Populi Romani fuerant, sed innumeros & immortales, in stellato eruditorum Capitolio, pariant Triumphos.

STANISLAVS WOYNA.

Por-

PORTA
HONORIS

PRÆSVL ADI CATHEDRAM, TIBI PORTA PATESCIT HONORIS

Introi felix Hierarcha Vilnam,
Pandit ornatos Tibi læta poſtes.

Nomen hos ornat *Tituli que ſacri*
Vnde præaltum *Diſcis Honorẽ*

Eruditor inſipientium.
Vir miſericordiæ. Ecc.4.
Sacerdos magn. Ec.50.
Terræ Conſul. Iob.3,
Angelus Eccleſiæ. Apo.2
Cupreſſus ſe exaltãs.
Hominibus probatus.
Iſrael. curr. 4. Reg.2.
Venat. robuſt. Gen.10:
Salutis nuncius. Iob.10

Vrbs refugii. Deut.4,
Oliua pullulans. Ec.50
Lux mundi. Maih-5.
Ouium paſtor. Iob.1
Vas auri ſolid. Ecel.50.
Iuſtitiæ doctor. Ioel.2.
Columna Templi. Ap.3
Iracundiæ recõciliatio
Vinex procura. Ma.20
Speculator domus. Iſ,

Paruulorum Doctor Ps. 39.
Ros Hermõn. Ps.132.
Æquitatis virga Heb. 2.
Sol refulgens Ec:50.
Vigil Cuſtos ciuit. Cant 3,
Lapis ſanctuar. Thr. 4.

Veritatis firmamen:. Tim3.
Iudex populi. Deu: 15.
Legatus fidelis. Prou. 13.
Nubes ſpargens lumen. Iob 33
Arcus refulgens. Ec. 50
Sionis murus. Thr. 2

A. D.

LætVs enoſlæas nVMera Date præſVL arIſtas.

STANISLAVS WOYNA. D. D.

Transisti illas ad D. IOANNIS Moles, TVÆ Pompæ & Magnificentiæ cohonestandæ gratiâ, Ill. Pr: ab Academia exstructas? Animum illius erga te propensum & beneuolum notasti. Vidisti hinc inde varios Poetarũ Vilnensium Lusus appensos? Studium illorum in Te celebrando, aspexisti. Aduertisti, vno quasi inclusâ circo, in vna mappa Lemmatum farraginẽ cum varia Symbolorum Hieroglyphicorum congerie? Si, quod in multitudine euenit, spectare non licuit depictam, liceat pellegere compendio effictã

Primus Tibi hîc proponit Supremi M. L. D. NOTARII insignia torus, non ineleganter expresso Caducei symbolo efformatus cum sua epigraphe PRVDENTER.

Hanc Tibi nostra sacrat Præsul Lituania Virgam:
Pacificatorem Te magis illa decet.

Ponè hunc torum, en alia eiusdem M. L. D. REFERENDARII munera. Supplices hîc aspectus libellos, & cum his Amalthææ cornu viridantibus oleæ infartum ramis. Vtrumq; animum in afflictos largê beneuolũ exprimit, dum Te in hoc tam celebri officio gerus CLEMENTER.

Mens fœcunda, os facundum pectusq; benignum
supplicibus quod habes, CornuOleaq; patet.

Reuerenter hoc & demissê. audacius illud quod tertium Honoris Tui gradũ decantat. quodsi a Te multum postulat, parce confidentiæ: si nimium præsumit, ignosce temeritati. FIDEM Tuam PROCANCELLARII in Regẽ & Patriam suo eloquitur animo, demonstrat symbolo, diuulgat Carmine. illo dum concinnnè Tuæ Dignitatis curat depingendum onus, isto, dum ingeniosè Annulo adumbrat Honorem, hoc, dum studiosè celebrat officiũ. Lubeat audire. FIDELITER.

Eia sacrum Fidium Regali porrige dextræ,
Hoc decus emerita est nam Tua Fida manus.

Atq; en quarto loco Senatoriam sedem. Colubrum hîc ad Pontificis pedes & Columbam, illum caudâ obscrantem auriculam, hanc in serpentina cõsistentem spirâ prospectas. ecquid horret animus? Serpentemne fugitas? equidem suasero si hic ille est, qui

Vipeream inspirans animam fit tortile collo
Aurum?

Sed longè aliam hic induit naturam: vt nec mitiorem alicuius Locrēsis Aiacis inuenias cerasten, nec mansuetiorem Thoantis audias draconem. Prudentiam, sapientiam, candorem Tuum ista deprædicant.

Candida quid signat sociata Columba Colubro?
Quod prudens animus sit niueusq; Tibi.

Attolle iam oculos. nouum in nubibus contueare solium. Vltimum hoc est siue laborum Tuorum præmium, siue Honorum complementum.

Sideream sedem spectas in nube locatam,
Hanc terrena pio tecta labore dabit.

Quid vero hæc longo tractu exporrecta, ipso Phœbo collustrante, Solis via? Tuæ & ista indies maiora gloriæ ostendit incrementa, donec in Auge illo Tuo, hoc est cælesti solio, conquieueris. Perge felix & Tecum ipse (quanquā non dubito quin facias) tacitus reputa, Te NONDVM esse In AVGE. Nam Quamuis

Magna Tibi, Præsul, facta est accesſio famæ,
Maior at his titulis est adeundus Honos,
Littaua sideream sedes Tibi præparat Arcem,
Te, leuis huc vt eas, fulciet ecce Pedum.

Accrescunt semper Tui Honores, augescit gloria, extenditur fama, nec contenta priorum titulorum nomenclatura, nouam Tibi addit Maiestatem, nouam exhibet Reuerentiam. Ceruus id de Te noster, prioribus deiectis, ac in noua assurgens cornua, non quidem ad Tuam Maiestatē digne, sed ad veritatem apposite, repræsentat.

Abiecto veteri, noua frons decoramina sumit:
Tu veterem retinens, crescis Honore nouo.

STANISLAVS WOYNA

Diuus

Diuus CASIMIRVS in nube supplici Regi indicat REVERENDISSIMVM.

SVPERIS GRATVS ET IMIS.

Sella Senatoris cui cederet orba mitrati
Voyniadæ, Regem iustus ut angor habet;
Sanctus aui frater CASIMIRVS, ab Æthere, iunctâ,
Suggerit EVSTACHIVM, laude, VOLOVICIVM.
Hic vir hic est, ait, ô Pronepos, quem destinat æther;
Quem post se vouit Voyna, Senatus auet:
Quem Litaui proceres, ordo quem postulat omnis,
Moribus, eloquio, Relligione grauem.
Illo Hierarchâ crescet honos pietatis auitæ:
Illius ad Lituum perfida secta tremet.
Ille meos cineres, & Mausoleon eorum,
Iam sat honoratum, comet honore nouo.
Nobile quod pia Vilna; meo de nomine, templum
Condidit, auxilio, Rex pie, fulta tuo,
Ille sacraturus Sanctoq; liturus oliuo;
Rite ubi cinget eum Palla, Tiara, Pedum.
Fautor & ille meæ sacris custodibus ædis,
Sacra quibus IESV tessera nomen, erit.
Mille, Voloviciumtitulis, ego, dixero dignum
Sede Senatoris Pontificisq; pedo.
Dixit & inflexit, pronum satis antè, Nepotem.
Dia ratos animos Roma Nepotis habet.
In quem conspirant Superi, vrbsq; Magistra sacrorū,
Rexq;, Volovicium: quantus hic, oro, vir est?

CASIMIRVS PAC.

REVERENDISSIMVS supplex ad Altare ornatus pontificalibus.

OMNIS PONTIFEX EX HOMINIB. ASSVMPTVS PRO HOMINIBVS CONSTITVITVR.

Ante Polonorum, celebris quæ functio Regi,
Bellè ad libellos supplices regia sensa dabas.
Hinc, REFERENDARII sat noto es nomine, dictus,
Regi Polorum, maior hæc functio, vota refers.
Scilicet ex hominum, pia per suffragia, votis
Assumptus omnis Pontifex, constituente DEO;
Ritè hominum causas, apud immortale tribunal,
Per grata, supplex, Numini sacra, sequester agit.
Ter felix sortis: ter felix muneris huius;
O EVSTACHI: mutata sors munus & in melius.

IOANNES LOWEYKO.

Præsul inter cælestes Paranymphos, S. Dionysium & S. Martinum Pontifices.

AVSPICIBVS SVPERIS.

Quâ luce effuso Dionysius astra cruore
Scandit Areopagi Pontificale iubar,
Hac Lituum capit EVSTACHIVS sacramq; Tiarã,
Varsauia Istuleis admodulante choris;
Invehitur Vilnam sub Martinalibus idem,
Vrbs huic applaudit Villiadumq; cohors:

Præsul vterq; : nec omen abest Dionysius artes,
Martinus mores exhibet EVSTACHII.
Candidus hic morum, petit ille cruentus Olympum.
Ardor inest niueo Numinis EVSTACHIO.
Nobile Cælicolûm par Pontificumq;, secundes
Pontifici EVSTACHIO/quod bene cœpit, opus

STANISLAVS RZECZYCKI.

Calix cum reliquâ Sacrorum suppellectile. Infula, Pedum cum reliquis præsul'aribus insignibus in Ara. Pone' ad latus sedes Senatoria.

SACERDOTI. EPISCOPO. SENATORI.

Hinc Pietas stimulos adhibet; facit inde salutis
Sollicitum populi credita cura Patrem.
Feruet Amor Patriæ signum per vtrumq; notatus.
Tertia quid tandem, sella curulis habet?
Hic meriti gradus est: hæc præmia digna laboris;
Rarus at ille, datur, qui simul ista ferat.
Non sinit hoc tua sed virtus rarescere nomen.
Notus iam Patriæ pridem, Hierarcha, tuæ.
Mystane priuatus vis æuum agitare? vetaris:
Vult in Episcopico te DEVS esse throno.

PETRVS PODLECKI.

Duæ sphæræ cælestis & terrestris coniunctæ fasciis Mitræ Pontificiæ.

ET PATRI ET PATRIÆ.

Quid gemina hæc variis moles Atlantea circis?
Symbolon illa poli, symbolon ista soli:

Illa

Illa Poli, quæ multiplici dat ſigna Mæandro,
Ardens ſidereo pectus amore notat.
Quæ terrena, ſuâ ſub imagine regna figurat,
Accenſum Patriæ ſignat amore virum.
Vittâ conſociet molèm hanc Antiſtes vtramq;,
Fiet & vnius ſymbolon antè duûm.
EVSTACHI, at, heu, rari quibus hæc data ſymbola qua(drant?)
Vtraq; conueniunt ritè ſed illa tibi.

GABRIEL OSTROVCH.

Saturnus curru vectus, coronâ ſpiceâ ornaus. Pueri duodecem albi & totidem nigri currum trahunt: illi Tela in manibus, iſti Lunas, omnes ſpicas, & clepſydras in capite, præferunt. Tempus aurigæ vicem ſupplet.

REDEVNT SATVRNIA.

Pande fores, gemebunda tuas Gediminia ſedes,
En nouus ingreditur vrbem Hierarcha tuam.
Pande ſinum, fert frugiferis tibi dona maniplis,
Saturni referens aurea ſecla ſenis.
Si nimis hybernis tenebris noctescit; amænam
Terna VOLOVICII Luna datura facem.
Conſurgit proles Lituum indignata Parentis:
Tollent hæc tantum ſpicula bina nefas.
Pande fores, intrat lætum cum Præſule Tempus:
Pacem Tela ferunt, lætitiam EVSTACHIVS.

IOHANNES HORSKI.

Atlas Sphæram cœlestem porrigens Herculi.

DIGNVM TAM FORTI ROBORE PONDVS.

Iapetionides fulcimine lassus Olympi,
Alciden in opem subsidiumq; uocat.
Paret hic & validis data sustinet astra lacertis.
Hæc visa Herculeis pondera digna toris.
Fabula Atlantis onus simul Alcidæq; leuamen:
Verior EVSTACHIVS Relligionis Atlas;
Verior Alcides: onus huic graue cura sacrorum:
Obserat ætherias hic reseratq; fores.

BARTHOLOMÆVS KRASOWSKI.

Scarbecus annulum in Thesaurum HENRICI CÆSARIS iniiciens.

NOBILE PIGNVS HONORIS.

Scarbecus Gazas oculis dum lustrat opimas
CAESARIS HENRICI, sic recreatus ait:
Ampla tibi, CAESAR, Gaza est: at ut amplior extet,
Ecce, meam rutilâ Iaspide nudo manum.
Dixit, Dactylionq;, Heros generosus, in ipsas
CAESARIS iniectat, Nobile pignus, opes:
CAESAR agit meritas animi de pignore gra tes.
Quas Grates Litauûm, Rex, tibi templa canent?
Namq; VOLOVICIO, qui gemma tuæ hactenus aulæ,
Pontifice hæc decoras: diues ô ille dator.

STANISLAVS ORLOVVSKI

Insula

Infula, Pedum, Gladius, Codex, Insignia REVERENDISSIMI.

HAEC REGVNT, ILLE TVETVR.

IPse licet cunctis Erebus desæuiat umbris,
Cerberus & fumos, ore trifauce, vomat.
Non tamen involuet tantâ caligine cœlum,
Quo minus ista petant tela vibrata scopum,
Irrita lucifugis labentur agemata sectis.
Schismaticæq; ruet vis malesuada luis.
Quo valet eloquio, quà vitâ cælite Præsul,
Auferet è domitâ parta trophæa styge.
Credo equidem: neque enim frustra bis acutus auito
Præsulis est iaculo iunctus vtriq; chalybs.

GEORGIVS KAMINSKI.

Arganthonius Rex dextra manu pomum tenens aureum supra caput in aere intuens aliud, tertium pedibus proculcat

QVAERIT, HABET, SPERNIT.

Vt tria diverso, viden, Arganthonius heros
Punica mala modo, Quærit, Abhorret, Habet.
Quod supra impendet prurigine Quærit habendi;
Quo recreatur Habet; quod putre, calce premit.
Talibus hinc felix tercentum vixit aristas,
Diues opum, vitæ diues & imperii.
Digna viro vita hæc, vitâ vir dignus & ipse;
Iure tibi hanc, Præsul, sed meliore precor.

Horres illecebras & Quæris ad Æthera callem,
Curam commiſsi Paſtor ouilis Habes.
Quæris, Habes, Spernis, quod & Arganthonius egit:
Ergo tot incolumis viue, quot ille, dies.

IONNES BROLNICKI.

/ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ /

Inſignia ILLVSTRISSIMI BENEDICTI WOYNÆ deſuper pendentia in nubibus, & Inſignia ſuffecti ILLVSTRISSIMI ſupra militum cohortem armatam, Angelis porrigentibus Tela ex vmbone accepta.

/ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ /

HOC DVCE.

Clanxerunt Litui, ſtrepuerunt Cornua cantu:
Vndiq; commotus miles in arma ruit.
Stant acies, ornatæ acies, pugnæq; paratæ.
Porrige inexhauſto, tela, pharetra, ſinu.
Tela date ò Superi, dextrasq; armate volentes,
Bella ciet ſanctis gens inimica focis.
At quid ſpecto? VOLOVICIVS ua pia Arma miniſtrat;
Woyna, ex ætherea, nos mouet, arce; Tubis?
Felices Litaui BENEDICTO præſule quondam,
Quo motos præſul muniet EVSTACHIVS.

IOANNES STETKIEWICZ,

Sphæra cæleſtis & Terreſtris mediantibus Telis REVERENDISSIMI. In ſuperiori vulneratâ radii promicant in adſtantem plebem, in inferiori tres iurati hominum contunduntur hoſtes.

SIMVL ET SEMEL.

Spicula diuerſum duo commeditantia vulnus,
Cuius vos pellit dextra ſagittigeri? Phœ-

Phœbi? Phœbus eâ prosternit at arte Cyclopas:
Non audet neruis tam grauis esse polo.
Num Paphii? Paphius serit impia crimina belli.
A Paphiis iaculis Pergama celsa ruunt.
Dianæ ergo? Diana feras iaculatur inermes.
Omnis ab hac tutus virq; Deusq; Dea,
Vera loquar (Præsul veniam da vera loquenti)
EVSTACHII dextrâ spicula missa vides.
Doctrinâ & virtute volat ceu duplice Telo:
Vim facit, arte, stygi, vim, pietate, polo.

SIMON PIOTROVICZ.

⊙*********************⊙*********************⊙

CADVCEVM MERCVRII.

****

COEANT IN FOEDERA MENTES.

Conspicis Herculeum, virga in Cyllenide, nodum?
Hîc in amicitiæ fœdera sepes eunt.
EVSTACHIVSq; Volovicius, vir vt ille disertus,
Discordes animos conciliare potest.
Distrahit, in sacris, Litauas Discordia mentes;
Hîc vbi tot fidibus luditur vna Fides:
Vna fides & auita Fides, vna ara salutis.
Dissona concordet corda VOLOVICIVS.

IOANNES IEVRZEIEVSKI.

S. EVSTACHIVS genu flectens ante Ceruum crucigerum.

PAR LABORI PRÆMIVM.

Afflat Olympiuagos si mens diuina Poetas;
Si sinit afflatos Numine Musa loqui; vati-

Vaticinor Voloviciadûm tibi gloria, præsul,
Quod memori cupio pectore claudat amor.
Præsule desertæ succedis Episcopus vrbi.
Desertum salebras, lustra ferasq; parit.
Hac, vigil, vrbe feras exci clangore salutis:
Præsulis hoc vrget functio, cura, locus.
Quotquot ab Errorum Scelerumq; exciueris antris,
De Cruce tot Christus clara brabea dabit.

CHRISTOPHORVS FIERLEWICZ.

Pastor ad ouile impellens oues, arcens feras.

SERVAT ET ARCET.

Peruigil imbelles Pastor regit ipse bidentes,
Acer & impauidus reiicit ipse feras.
Illas mitis agit leniq; impellit hibisco/
Depellit iaculis has lituoq; suo.
Nec labor irritus est, stat ab hoc ouiaria sospes/
Pastor vt á caulis noxia quæq; fugat.
Hæc Litaui, ne temne, gregis tibi sistitur icon:
Si sis illius de grege, tutus eris.
Ambigis? EVSTACHIVS Vigil hîc tutatur ouile,
Spicula testantur calx & acuta Pedi.

SIGISMVNDVS VLCZYCKI.

Moses cum virga & plagæ decem Ægypto per eundem illatæ.

PERIMIT ET TVETVR.

Legifer Amramides sacro celeberrimus orbe,
Quondam Æygptiaci pœna pauorq; soli, Affli-

Afflixit Virgæ Pharaona decemplice pænâ,
Dux & Erythræum per mare vicit iter.
Tanta Viro Virtus fuerat Virgæq; poteſtas;
Nec poterat iuſto cedere terra malo.
Præſulis hac noſtri virtus in imagine claret,
Error ad hanc trepidat, gaudet auita Fides.
Namq; vt Niliaco cladem dedit ille Tyranno,
Sic aget iſte ſuos, hoſte luente, greges.
Nec mirere lues cultis ſi gliſcit in aruis:
Gliſcit, vt à domita plus tibi laudis eat.

IOANNES RAVASEN.

Altare fumigans, deſuper odorante CHriſto, circumſtante populo.

BONVS ODOR CHRISTI.

Vilnenſis Viduata ſuo dum Præſule ſedes
Luget, & ad Superos vota precesq; ciet.
Sedibus è Superis Superûm Rex aſpicit ipſe,
Et Fama EVSTACHII ſic recreatus ait:
Fama Volovicii Pietatis odore tribunal.
Noſtrum adiit, veſtras, annuo, Præſul erit:
EVSTACHI, iô, vivas Præſul, ruit vndiq; clamor,
Auditâ Famâ Præſulis EVSTACHII.
Tum Vilna euigilans pulſoq; e pectore luctu
Tandem, ait, è luctûs ſurgo ſopore graui.
Quem Deus ipſe probat, populo Cleroq; probatur,
Reddor in EVSTACHIO Præſule tota mihi.

IOANNES BARSZCZEWSKI.

Cornua cerui candelabri loco appensa.

Et Lvcet Et Fvgat.

Non ſat,odorato nidore fugaſſe venena,
Ceruino è cornu, res quoq; lucis eget.
Eſt opus ornentur ſacra his laquearia ramis,
Et micet è vario cerea flamma ſinu.
Diſcutis errorum virtutis amoribus ignes,
Nec ſinis, ô Præſul, virus obeſſe gregi.
Num ſatis eſt? quâ ſe latè Lituania fundit,
Irradians animas, clara lucerna micas.
O Superi hoc ſeruate diu cornuq; facemq;
Pendet ab hoc Litaui luxq; ſalusq; ſoli.

PAVLVS CHOBRZYNSKI.

Ciconia ramum Platani ad nidum portans.

Præsens Avxilivm.

Provida ſecuros ſeruare ciconia nidos,
E quibus eſt pullos elicitura ſuos/
Virgea de platani medicamina frondibus infert,
Ne,quâ parte,lues afflet,acuta cauet.
Sigsmvnde arctoi Regnator ô inclyte mundi,
Sollicitâ Litauo proſpicis arte g regi.
Fallor? an illatam platanina ex arbore frondem
Conſpicor huc, animis vnde petenda ſalus?
Frons,eſt Evstachivs Litauis Hierarcha,ſalutis;
Eſt aura Hereſeωn iam nocitura minus.

IOSEPHVS MIACKIEWICZ.

SOL exoriens, feras ad antra fugat, homines ad laborse euocat.

ortus est sol & in cubilibus collocabuntur bestiæ, exhibit homo ad opus suum.

Dum celeres effert roſeo temone iugales
  Phœbus & auricomum ſpargit in arua iubar.
NOctiuaga in latebras abeunt animalia notas,
  Manè operum redeunt Euigenisq; uices.
EVSTACHI, vt ambroſio ſacrum caput inſeris oſtro,
  Villiacâq; tuum fundis in vrbe decus.
Diffugiunt ſtygii Lemures ſcelerumq; Chimæræ,
  Et Pietatis opus turba fidelis obit.
Quid ſperem? Phœbus velut hos gratiſsimus afflat,
  Sic dabit ingreſſus commoda mille Tuus.

BARTHOLOMÆVS DAWNIKOWICZ.

Vilna ſertis ſpiceis onerata, Pompa coronis triticeis adornata, Aligeri cum manipulis antecedentes ipſum REVERENDISSIMVM.

LÆTA SEGES.

Ingrederis noſtram dum felix PRÆSVL in vrbem,
  Mirata eſt faciem Vilna repente ſuam.
Nam modò quæ fuerat viridantibus obſita lauris,
  Pro viridi ſurgunt ſpicea ſerta domo;
Et turba illa, Tuæ quæ facta eſt obuia Pompæ,
  Florida cùm poſuit, ſpicea dona gerit.
Ipſus Epheborum grex qui Te voce ſalutat,
  Liliger exierat, ſpiciger ecce redit.

Omen ineſt vicibus; cui mens fœcunda bonorum,
Hæc, puto, læta ſeges ſurgit ab EVSTACHIO.

IOACHIMVS SREDERVS.

Ante vrbem Vilnenſem meßis matura, in agris multis manipulis ſtantibus, colonis conuehentibus fruges ad horrea, ditiora 7. ſpicis Pharaonis.

TANTÆ HORREA QVÆRITE MESSI.

Credite villiades lætos celebrabimus annos,
Credite, non vobis ſomnia viſa cano.
Quin etſi referam placidi ſimulacra ſoporis,
Fors ea, NILIGENûm REX, ſimulacra probet.
Vera loquar, nec ſeptenas cano ſurgere ſpicas,
Horrea noſtra Ceres diuitiora dabit.
Vrbem LÆTA SEGES mihi veſtram intrare videtur,
Diuitiasq; ſinu fundere triticeas.
Collige iam numeros; meſſem vnam ſpica dat vna/
LÆTA SEGES, lætos quot dabit iſta dies.

GEORGIVS MELANOWICZ.

CHRONODISTICHON INAVGVRATIONIS REVERENDISSIMI VarſoVIæ, EVſtaChII CapVt InſVLa CIngIt In Vrbe,
BIs LIbræ oCtaVVs SoLeM VbI VerſVs agIt.

CASIMIRVS MAFFON.

EPIPHONEMATICON TEMPORALE.

PræſVLIs EVsTaChIVs LItaVI CVMVLatVs hoEXVperet VegetVs Neſtora CanICIe. (nore

MARTINVS SETNICKI.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0014138